Pollack - Hippodromica - 1890


HARVARDIANA
ACADEMIA
IN NOV·ANG
ET
VE
RI
TAS
CHRISTO
ECCLESIAE

HIPPODROMICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ERVINUS POLLACK

GEISINGENSIS.

LIPSIAE

TYPIS I. B. HIRSCHFELDI

MDCCCXC.

PATRI SEXAGENARIO

SACRUM.

ARGUMENTUM.

ACCEDUNT

Godofredi Hermanni, 'grammaticorum equitum doctissimi', calcari incitatus cum iam tirunculus philologus animalium et nobilissimi et utilissimi studium a patre, ut credo, insitum atque a pueritia fotum cum philologia uno iugo coniungere quasi furtim conatus sim, cuius coniugii primitias quantulascunque ad calcem legis Commentationum Ribbeckianarum, gliscente magis magisque rei oblectatione ad hos quoque sermones equestres concipiendos me accinxi.

Atque cum primo quaslibet antiquitatis res equestres[1]) in scidulas meas collegissem, paullatim, ut pyramidis architecton, materiem copiosam in arctius contrahere coactus certamina equestria elegi, quae diligentius considerarem, non quod hic potissimum ager cultoris aratro caruisset, sed quod frugum fertilissimus est. Quoniam autem in Romanorum rebus circensibus accuratius contemplandis multo plures viri docti pronam pro fontium largitate curam posuerunt quam in Graecorum, his operam navanti eo melius mereri mihi videor. Nunc quidem selectas modo quasdam quaestiones hippodromicas edere lubuit alias posthac fortasse data occasione addituro. Quo enim maxime animus allicitur, ut equestrium certaminum a primis ad novissima antiquitatis tempora progressus historice perlustrentur, id a tantulae dissertatiunculae argumento alienum potius operis universa huc spectantia complexuri erit.

1) Adolphus Schliebenius, ordinis tormentarii dux Borussicus, in eo, quem de equis antiquitatis scripsit, libro (Neuwidiae et Lipsiae CIƆIƆCCCLXVII) materiem magis congessit quam in usum suum contulit.

Ac tituli inscripti, monumenta ceteroquin rerum equestrium, imprimis agonisticarum haud sterilia, haec de institutione potissimum hippodromorum scribenti paene nihil mihi suppeditaverunt. Eo uberior simulacra in meum usum convertendi facultas obvia erat. Quod comparandi causa Romanorum et nostratium curricula compluribus locis limulis obiter perstrinxi, ad rem magis illustrandam non nihil spero me contulisse.

I.

DE EQUORUM CURRICULIS AB EPICIS DESCRIPTIS.

De equestribus veterum certaminibus quaerenti uberrimus fons scatet ex epicorum descriptionibus. Quarum quae ad Graeca pertinent, eas considerare nunc mihi proposui ita quidem, ut non omnia a carceribus ad calcem accurate perpendam, verum liberiore quodam arbitrio, quaecunque mihi idonea videbuntur, eligam. Sunt autem descriptiones Homeri, Nonni, Quinti Smyrnaei, Statii. Neglecto temporum ordine sic hos quattuor ordinare visum est, ut quo quisque Homero imitatione propinquior sit, eo propiorem illi locum teneat. Eo omnes quattuor poetae inter se congruunt, quod in ludorum funebrium celebratione certamina institui fingunt. Hunc enim antiquissimis temporibus in principum exsequiis sollemnem Graecorum morem fuisse complures loci testimonio sunt, velut Od. ω 87—9, ubi Agamemno funus Achillis memorans haec dicit:

ἤδη μὲν πολέων τάφῳ ἀνδρῶν ἀντεβόλησας
ἡρώων, ὅτε κέν ποτ' ἀποφθιμένου βασιλῆος
ζώννυνταί τε νέοι καὶ ἐπεντύνωνται ἄεθλα,

quibuscum conferas Apoll. Rhod. III 1271—4:

. . . ὁππότ' ἄεθλα καταφθιμένοιο ἄνακτος
κηδεμόνες πεζοῖσι καὶ ἱππήεσσι τίθενται,

ib. I 1057:

ἐπειρήσαντό τ' ἀέθλων,
ἧ θέμις,

Il. Ψ 629—31 Nestoris verba:

εἴθ' ὣς ἡβώοιμι, βίη τέ μοι ἔμπεδος εἴη,
ὡς ὁπότε κρείοντ' Ἀμαρυγκέα θάπτον Ἐπειοὶ
Βουπρασίῳ, παῖδες δ' ἔθεσαν βασιλῆος ἄεθλα.

Lubentissime epici poetae tales ludos versuum nitore persecuti sunt. Cyclicorum poematis eorum descriptiones restituit Welckerus in altero Epici Cycli volumine partim testimoniis partim coniecturis nisus (p. 350—3 Thebaïdi, p. 522 Aethiopidi, p. 319 et 344 Oedipodeae, p. 393 et 403 Epigonis). Quod vero summi videtur esse momenti, apud solos Graecos eiusmodi certationibus funera celebrantur: barbarorum enim nusquam commemorantur, ne ibi quidem, ubi poetae, ut id faceret, maxima erat occasio, velut in exsequiis Hectoris, Memnonis, Paridis, Penthesileae aliorum. Id neque casui tribuerim nec poetas, ne earundem rerum iteratione auditores fatigarent, veritos has occasiones omisisse crediderim, quia uno saltem versu rem attingere poterant. Magis igitur animus inclinat, ut funera certationibus ornata a barbarorum usu prorsus aliena fuisse existimem. Accedunt ad hanc frequentissimam equestrium certaminum occasionem iam antiquissimis temporibus aliae duae: altera religionis expers, qua proci de filiae cuiusdam matrimonio certabant, ut Hippodamiae[1]), Marpessae aliarum (cfr. Welckeri ep. Cycl. II. p. 30), altera, qua dei celebrarentur: ex quorum certaminum numero Isthmiacorum et Nemeaeorum origines ad ludos funebres referri solebant. Quod nos equorum certationibus vel maxime consequi studemus, ut victoribus equis coeuntibus quam nobilissimum ac praestantissimum efficiatur equorum genus[2]), id veteres prae deorum vel heroum honore secundae curae habebant, quamvis palmas equorum et generositatem magni aestimarent.

Pauca addam de ordine certaminum, quem tabula (p. 6) illustravi. Homeri V. VI. VII interpolata censet Lehrsius de Arist. stud. Hom. epim. p. 433 sqq. Eadem, quae apud Homerum, sunt apud Nonnum et Statium, nisi quod ille ser-

1) De hoc certamine nuper Eduardus Thraemerus in eo, qui 'Pergamos' inscribitur, libro p. 33 sqq. egit.

2) Similis ratio Persis videtur fuisse, qui equorum laude praeter ceteros florebant: Xerxes enim in Thessalia Persicorum et Thessalicorum equorum certamen instituit, ut, uteri velociores essent, iudicaret. Quo in certamine Persici Thessalicos longe superaverunt (Herod. VII 196).

vato ordine Homerico armatorum pugnam (V.) omisit, hic ordinem ex parte permutavit. 'Nudum ferrum' (VI.) Statii respondet Homericae hoplomachiae. Apud eundem arcu non certatur illo quidem, sed ingens Adrasti missus est pro certatione. Ne hastae quidem certamen prorsus silentio praeteritur: datur enim v. 928 Adrasto optio inter hastam et sagittam. Longissime ab Homeri auctoritate discessit Quintus cum ordine tum numero certaminum. Addidit enim saltum, pancratium, equites, et praemisit Nestoris carmen, quo Thetidem et Achillem laudat (v. 129 ὕμνεεν, v. 147 μέλπε), non illud quidem certamen, sed musici certaminis quasi incunabula: certarent enim alii cum eo, si auderent (v. 124—27). Denique equestre certamen, quod apud ceteros primum locum obtinet, in fine posuit. Id satis mirum est, quia Graeci solebant primo sole equis decertare (Stat. Theb. VI 261), haec autem certamina omnia uno die conficiuntur. Namque Athenis, ubi, quod panathenaici tituli testantur (CIA II 966—9), equestre certamen sollemnia concludebat, ut Olympiae alibi recenti die fiebat. Apud Thessalos, si hoc ex uno titulo agonistico (Bull. de corr. hell. X 438, Larisae) colligi licet, ab equitibus oriebatur certaminum initium.

Ordo certaminum.

No.	Homerus	Il. Ψ	Nonnus	Dionys. XXXVII	Statius	Theb. VI	Quintus Smyrnaeus	Posth. Δ
I	ἱππῆς (= aurigae)	262	ἱππῆς (= aurigae)	116	equi (= currus)	296	ἵπποι	124
II	πυγμαχίη	653	πυγμαχίη	485	cursus	550	δρόμος	181
III	παλαισμοσύνη	701	πάλη	544	discus	646	παλαισμοσύνη	215
IV	ταχυτής	740	ποδῶν ταχυτής	614	caestus	729	πυγμαχίη	284
V	τεύχεα	803	—	—	pale	826	τοξοσύνη	405
VI	σόλος	826	σόλος (= δίσκος)	667	nudum ferrum	911	σόλος	436
VII	τοξευταί	850	τόξον	703	pharetra et cornu	931	ἅλμα	465
VIII	ἥμονες ἄνδρες	886	ἀκοντιστῆρες	750	[hasta]	928	αἰγανέη	472
IX	—	—	—	—	—	—	χαῖρες καὶ πόδες (= παγκράτιον)	479
X	—	—	—	—	—	—	ἱππασίη (= aurigae)	500
XI	—	—	—	—	—	—	μονάμπυκες ἵπποι	545

A.

DE HIPPODROMO HOMERICO.

(Ilias Ψ 262—650.)

Simplicissima hippodromi forma est spatium derectum, per quod a carceribus usque ad finem vel potius praeter finem — neque enim citatissimus equorum cursus repente potest sustineri —, ut a stadiodromis, continuo nec ullo modo impedito cursu curritur[1]). Talis forma num unquam hippodromis fuerit, quamvis prima quaeque curricula ita formata fuisse verisimile sit, tamen, cum diserta testimonia desint, certo dici nequit. Diodori Siculi hippodromum Oenomai describentis (IV 73, 3) eiusmodi simplex forma animo videtur fuisse obversata: [*Οἰνόμαος*] *ὑπεστήσατο ἱπποδρομίαν ἀπὸ Πίσης μέχρι τοῦ κατὰ Κόρινθον Ἰσθμοῦ, πρὸς τὸν βωμὸν τοῦ Ποσειδῶνος.* Posses hanc aram pro meta fuisse reri, nisi auctor pergeret: *Φθείρας δέ,* ait, [*ὁ Πέλοψ*] *τὸν ἡνίοχον τοῦ Οἰνομάου Μυρτῖλον καὶ λαβὼν σύνεργον πρὸς τὴν νίκην ἔφθασε παραγενόμενος ἐπὶ τὸν Ἰσθμόν, πρὸς τὸν τοῦ Ποσειδῶνος βωμόν,* unde aram finem totius curriculi fuisse concludas. Nam cur Oenomaus cum ab adversario sese victum videret, manus sibi ipse intulisset, quod scriptor continuo narrat, si in reditu illum occupandi facultas ei relicta fuisset? Idem inaudita curriculi longitudo mihi persuadet. Sed ut Siculus antiquitus memoriae tradita reddat, quid ex illis fabulis ad verum antiquissimorum temporum usum colligere possumus? Eadem forma, quamquam multo breviore ac paene nimis brevi spatio quinque sta-

1) Cfr. Krause Gymn. et Agonist. p. 344. 571.

diorum, videtur id curriculum fuisse, quo Cyrum cum suis Xenophon in Cyri Institutione (VIII 3, 24 sqq.) facit decurrentem. Ibi enim rex meta significata ipse cum primo missu certat et prope metam consistens singulas ceterarum turmarum certationes observat (v. 25: *κατὰ κράτος ἐνταῦθα ἀφεῖναι τοὺς ἵππους*). Haec a Xenophonte non mero commento ficta esse ipsius expressa verba argumento sunt ibidem § 34: *οὕτω δὴ ἡ τότε ὑπὸ Κύρου κατασταθεῖσα ἔλασις οὕτως ἔτι καὶ νῦν*[1] *διαμένει ἡ βασιλέως ἔλασις*, quibuscum coniungas eiusdem testimonium, quod est in eo, quem de re equestri conscripsit, libello cap. VIII § 6: *ἃ δὲ φοβοῦνταί τινες μὴ ἀπορρηγνύωνται τοὺς ὤμους κατὰ τὰ πρανῆ ἐλαυνόμενοι, θαρρούντων μαθόντες, ὅτι Πέρσαι καὶ Ὀδρύσαι ἅπαντες τὰ κατάντη ἁμιλλώμενοι οὐδὲν ἧττον τῶν Ἑλλήνων ὑγιεῖς τοὺς ἵππους ἔχουσι.* Verum hoc ad Persas, non ad Graecos attinet.

Certiora primum ac pleniora de hippodromi institutione discimus ex Homerica illa enarratione. Hic vero non ut illi simplex, sed duplex est, quod in modum diauli duae viae recta inter se regione a carceribus, si hoc verbo uti licet, ad metam pertinent, quibus in laevum gyrum (v. cap. II) curritur. Meta in anfractu viarum posita sive *τέρμα* (309. 323. 333. 466) a verbo *τείρειν*[2]), ut *σπέρμα* a *σπείρειν*, quia modiolis teritur, sive *νύσσα* (332. 338. 344) a verbo *νύσσειν*[3]) ex eadem causa appellatur[4]). Quod Homerico una, posterioris aetatis et Graecis et Romanis circis duae sunt metae, id gravissimum est, quo inter se differunt. Ne pluralis quidem *τέρματα* in v. 333 et 358 aliud quicquam significat nisi unam

---

1) Cfr. Isensee: Der geschichtliche Wert von Xenophons Kyrupaedie. 1868. Seelmann: De historica Xenophontis in Institutione Cyri fide CIƆIƆCCCLXX.

2) Alia forma ab eodem verbo derivata est *τόρμη· ὁ ἐν ἱπποδρόμῳ δρόμος* (pro quo dubito an rectius *τόρμος* scribendum sit, cfr. Hesych. *ἱππικὸν τόρμον*) *ἢ ἡ καμπὴ καὶ ὕσπληξ*. Dionysios ap. Eustath. p. 598, 27 (Schwabe Atticist. 213).

3) Hesych. s. v. *ἀπὸ τοῦ ἐλθόντας κατ' αὐτὸν νεύειν τοὺς ἵππους*(!).

4) Soph. El. 720. 744: *στήλη*, quo cum nomine columnae in agonisticis monumentis adpictae congruunt.

exteriorem metam, siquidem ad vocabulum *σῆμα* in v. 331 referendus est: 'Et hoc signum nunc pro meta' esse voluit Achilles'. Namque Homericus hippodromus semel tantum percurritur, quod cum ex aliis totius descriptionis rebus tum e spectatorum colloquio apparet v. 448 sqq. Verba enim *πύματος δρόμος* in v. 373 extremum spatium sinistrae viae significant[1]) (cfr. v. 768 eadem verba de simplici stadio dicta. Verg. Aen. V 327). Quo vero minor erat anfractuum numerus, eo maior debuit esse totius hippodromi longitudo, ut equi praeter celeritatem etiam assiduum laborem praestarent. Quare factum est, ut certantes viam prope metam procul remotam peragentes e spectatorum conspectu evanescerent (v. 358: *σήμηνε δὲ τέρματ' Ἀχιλλεὺς | τῆλοθεν ἐν λείῳ πεδίῳ*. 450. 458 sqq.)[2]).

Quod veteres viam hippodromi duplicaverunt, triplicem video rationem. Primum talis hippodromus minus spatium postulabat quam simplex, quoniam sine mora ultro citroque percurri poterat. Deinde ita fiebat, ut spectatores et initium et finem certaminis aeque possent conspicari neque locum mutare deberent. Tum propter artum circa metam circuitum equos, sinistrum potissimum, bene institutos et condocefactos esse necesse erat[3]). Nam rudes et intractati vel nimis impetuosi (*ἔκδρομοι ἵπποι* Pollux III 148) praeter metam ferebantur atque in spatiosos orbes exerrabant. Hoc apud Quintum Smyrnaeum (IV 563 sqq.) Stheneleum cum nobili suo sed rudi equo pati legimus:

καί νύ κεν ἐσσυμένως ἐξ Ἄργεος αἰόλος ἵππος
νίκησεν μάλα πολλὸν ἐφεζομένου Σθενέλοιο,
εἰ μὴ ἄρ' ἐξήρπαζε δρόμου, πεδίον δ' ἀφίκανε

---

1) Schol. Townl. 351: *εἰ δὲ λέγει „ἀλλ' ὅτε δὴ πύματον" τῶν δύο τὸν ἔσχατόν φησιν.*

2) Schol. Ven. B 353: *ἦν δὲ ὁ δρόμος οὐ δόλιχος. κάμπτουσι δὲ ὀλιγάκις. ἔδει δὲ πολλάκις εἶναι τὸν καμπτῆρα. δίαυλος οὖν ἐστι μακρότατος· διὸ καὶ σκοπὸς κάθηται Φοῖνιξ καὶ σημαίνει τὸ τέρμα τηλόθεν, μή πώς τις ἐντὸς τοῦ καμπτῆρος κάμψῃ· ἅπαξ γὰρ ὁρῶνται ἐπὶ τοῦ αἰγιαλοῦ καὶ ἅπαξ φιλονεικοῦσι περὶ αὐτῶν.*

3) Cfr. Friedlaenderi historiae morum Romanorum vol. II. p. 295 sq.

πολλάκις· οὐδέ μιν ἐσθλὸς ἐὼν Καπανήιος υἱὸς
κάμψαι ἐπέσθενε χερσίν, ἐπεί ῥ' ἔτι νῆις ἀέθλων
ἵππος ἔην· γενεῇ γε μὲν οὐ κακός, ἀλλὰ θοοῖο
θεσπέσιον γένος ἔσκεν Ἀρίονος.

(cfr. etiam Koechlyi commentarium, qui tres similes locos cum hoc comparat.) Idem facit illius pater inclutissimus Arion apud Statium, ut hoc hereditate traditum putare possis (Theb. VI 413):

Nec non et Thèssalus heros
Spe propiore calet, dum non cohibente magistro
Spargitur in gyros dexterque exerrat Arion.

Itaque qui equos in certamen mittere volebant, eis id potissimum studendum erat, ut illos artum anfractum et temperatam corporis conglobationem docerent, quod Phaedra apud Ovidium in Hippolyto miratur (Heroid. IV 79 sq.):

Sive ferocis equi luctantia colla recurvas,
Exiguo flexos miror in orbe pedes.

Id vero ut exercerent in privatis curriculis, peculiari metarum genere eos usos esse non possum non credere. Quod genus in quibusdam agonisticis monumentis adpictum video (Gerhard, Auserl. gr. V. CCLXVII. Mus. Greg. vol. II. tab. XXII 1 a). Habent speciem boleti inversi, cuius orbis terram premat, pediculus in altum erectus sit. Quod autem gravissimum est, non in terra fixae, sed mobiles sunt. Fixis enim metis si in exercitationibus usi essent, idem semper periculum erat quod in publicis certaminibus, ne meta collisa currus everterentur. Illae vero metae ex levis ponderis ligno factae cedebant, cum orbis earum, quo ut stare possent opus erat, impingebatur[1]). Praeterea ahenei anuli ampliore quam meta circumscriptione petiolo circumdati, quales in priore imaginum supra laudatarum cognoscuntur, ne ipse truncus tangi posset, impedivisse mihi videntur.

1) Ex nostris palaestris licet exercitationes in altum saliendi comparare: milites enim vel gymnici in palaestris super linum pedi tangenti cedens salire exercitati in campis super firmas stabilesque res dant saltus periculosiores.

Quae omnia animo complexus iure dicas metam fuisse veterum hippodromorum impedimentum. Tale quid a nostris alienum est. Immo his forma est oblonga: quorum anguli cum bene rotundati sint et totius plani in extremo tantum margine curri soleat, arti anfractus evitantur[1]), id quod veteribus contrarium est. Itaque nostri equisones equos ad certamina praeparantes ('Training') non in subtiliter eis condocefaciendis studium ponunt, sed id eos pedetemptim consuefaciunt, ut macescentibus corporibus per amplum spatium quam celerrime ruentes perdurent et, nisi ad planum campum ('Flachrennen') solum destinati sunt, omnis generis impedimenta et alta et lata, ut saepes, muros, aggeres, fossas, aut saliendo aut enitendo audacter vincant. Id genus impedimenta superare etsi veteres in apertis campis ('Campagne') equos militares docebant (Xen. de re equ. cap. VIII. Oecon. cap. XI 17), a circensi usu excludebant, quia currulia certamina in eorum hippodromis et origine et honore equestribus priora erant. Ad curruum autem certationes cum levia aequora campi aptissima sint, ut omnes veterum hippodromi, sic Homericus quoque in tali situs erat (v. 359: *ἐν λείῳ πεδίῳ.* v. 330: *λεῖος δ' ἱππόδρομος ἀμφίς*). Qui quod a mari in terram orientem versus vergebat, id non casui tribuerim (v. 364: *οἱ δ' ὦκα διέπρησσον πεδίοιο | νόσφι νεῶν ταχέως.* v. 373: *ἀλλ' ὅτε δὴ πύματον τέλεον δρόμον ὠκέες ἵπποι | ἂψ ἐφ' ἁλὸς πολιῆς.* Cfr. cap. III A). At Graeci ex Cyri adversa expeditione ad maris litus reversi prope Trapezuntem per declive decurrunt (Xen. Anab. VI 8, 28: *ἔθεον δὲ καὶ ἵπποι καὶ ἔδει αὐτοὺς κατὰ τοῦ πρανοῦς ἐλάσαντες ἐν τῇ θαλάττῃ στρέψαντες πάλιν πρὸς τὸν βωμὸν ἄγειν*). Hoc Persarum fortasse consuetudinem imitati (p. 8) ideo fecerunt, quod prae montuosa loci natura aliter non potuerunt. Quam Graeci et equi et equites in eiusmodi hippodromo currere non fuerint exercitati, e Xenophontis narratione affatim apparet.

---

1) Excipio venationes ('Jagdrennen'), ubi hic illic rectangulis paene flectitur.

Multa sed mira magna ex parte de hippodromo Homerico disputavit Delabarrius[1]): nihil vero fere mirius quam quod prope metam non Homerici solum, verum omnium Graecorum hippodromorum locum depressiorem pro impedimento de industria facto fuisse dicit. Longum est omnes eius hariolationes refellere: hoc autem, quod ex tota farragine prompsi, leviter tangam. Duo enim neglexit vir doctus: locum illum depressiorem neque de industria, sed natura impedimentum factum forte ibi neque prope metam, sed prope calcem totius curriculi situm esse; nam quaecunque a versu 373 narrantur, in fine cursus eveniunt. Immo res ita animo cogitanda est. Secundum sinistrum marginem totius hipprodomi unus ex illis torrentibus fluit, quales in illis regionibus repente orti repente dilapsi multi obviam fiunt. Hic torrens, qui disertis verbis scilicet propter crebritatem rei non commemoratur, primo vere extumescens illo loco ripam avellit lateque excavavit, quo *ῥωγμὸς* (cfr. schol. Ven. A v. 420) sive *ἔκρηγμα,* quod Graeculi vocant (Polyb. XII 17, 5. 20, 4), ortum est (v. 420 sq.: *ῥωχμὸς ἔην γαίης, ᾗ χειμέριον ἀλὲν ὕδωρ | ἐξέρρηξεν ὁδοῖο, βαθῦνε δὲ χῶρον ἅπαντα*). Quam excavationem in laevam hippodromi arenam prominentem eiusque viam coartantem (v. 416: *στεινωπῷ ἐν ὁδῷ.* v. 419: *στεῖνος ὁδοῦ κοιλῆς.* v. 427: *στεινωπὸς γὰρ ὁδός*), qui non circuitione usus ad laevam via excedere vult, paene rota tangere debet. Id fecit Menelaus (v. 422: *τῇ ῥ' εἶχεν Μενέλαος*) Antilochi commodo, qui eum proximus sequitur. Hic enim, dum ille ad marginem versus cavernae currum regit, equos suos ad celeriorem cursum exhortatur atque concitat (v. 402—16), quare ei contingit, ut paullum ad laevam de via flectens (v. 423 sq.) Menelaum a laeva praetervectus in angustiis assequendis praeoccupet[2]).

1) Mémoires de litterature, tirez des registres de l'académie royale des inscriptions et belles lettres depuis l'année M.DCCXXXI jusqu'en l'année M.DCCXXXIII p. 360 sqq. (Histoire de l'acad. roy. des inscr. et bell. lettr. tome IX. Paris M.DCCXXXVI.)

2) Schol. Ven. B 420: *ἐν δεξιᾷ Μενέλαος ἤλαυνεν* falsum est nisi intellegitur *ἐν δεξιᾷ τοῦ Ἀντιλόχου.*

Qua de causa Menelaus, ne aut ad dextram in cavernam deferatur aut ad laevam cum adversarii curru collidat (v. 433—8), id quod, cum periculosum sit, anxie evitat (v. 422: ἁματροχίας ἀλεείνων. Sic Grashofius Res vehic. p. 35: 'concursus'), cursum retardare cogitur. —

Solum hippodromi, ut omnium antiquitatis circorum, arenosum est (v. 365. 372 = 449. 437. 502. 503). Raro equestre certamen describitur, ubi pulveris vel arenae humi excitatae non fiat mentio, velut Soph. El. 714. Verg. Georg. III 110. Hor. carm. I 1, 3. Ov. am. III 2, 41. Sil. It. Pun. XVI 325 sqq. Stat. Theb. VI 411. 479. 492. 526. Quint. Smyrn. Δ 518. Nonn. Dion. XXXVII 284. Quocira etiam voce arenae pro hippodromi utuntur. Nostrorum hippodromorum solum ('das Gelaüf') hoc quoque prementi ungulae cedens, sed graminosum est[1]. Arenosus solus interior circulus non magnae latitudinis ('die Galoppierbahn') est, ubi non certando decurritur, sed equi certaturi proximis diebus ante ipsam certationem exercentur.

Nómina curriculi apud Homerum reperimus tria diversa: ἱππόδρομος (v. 330), δρόμος (v. 321), quo verbo etiam cursus equorum significatur (v. 373. 375. 526), ὁδός, quae vox creberrime obviam fit (v. 330. 393. 419. 421. 424. 427). Hoc vocabulo, cui Latinum 'via' prorsus respondet (Stat. Theb. VI 494: cum iam in fine viae (plur.)), nullo modo hic via publica significari potest. Hae enim ἱππασίαι ὁδοί (Il. VII 340) quamquam illa aetate exceptis natura saxeis nec lapidum nec silicis stratura durae ut nostrae fuerunt, quod id unguibus equinis non soleis ferreis indutis plane obfuisset — equus enim campis patentibus et herbis graminibusque mollibus natus est — tamen continua frequentatione paullatim tantam duritiem nanciscebantur, ut ad certamina in eis celebranda iam non idoneae essent. Molles enim eas esse debuisse Ovidianus locus (Met. VI 218 sqq.) testimonio est:

Planus erat lateque patens prope moenia campus,
Assiduis pulsatus equis, ubi turba rotarum
Duraque mollierat subiectas ungula glaebas.

1) Tale apud Vergilium Aen. V 287 stadium est: 'gramineus campus'.

Deinde pro via publica latior debebat esse, ut quinque bigis commodum spatium praeberet. Tum non potest intellegi, cur duae viae tam prope inter se recta regione tulerint paullo post in unam coiturae (v. 330). Re vera illa via omnino non significata fuisse putanda est. Namque Graecos Troiam obsidentes alias equestria certamina hoc loco celebravisse neque traditum est nec verisimile, quia Nestor sine iusta causa de metae origine dubitaret (v. 331 sqq.). Immo *ὁδὸς* est ea via, qua brevior circum metam animo nequit cogitari. Prope metam dextra et sinistra via concurrunt ut capita cinguli (v. 380 *ἐν ξυνοχῇσιν ὁδοῦ*. Cfr. Quint. Smyrn. *Δ* 342: *ἐν ξυνοχῇσιν ἀγῶνος*. Il. *Δ* 131: *ὅθι ζωστῆρος ὀχῆες χρύσειοι σύνεχον*)[1]). Quod de Antilocho v. 423 sq. dicitur:

παρατρέψας ἔχε μώνυχας ἵππους
ἐκτὸς ὁδοῦ, ὀλίγον δὲ παρακλίνας ἐδίωκεν,

his verbis poeta nihil aliud dicere vult nisi illum paullum hac via cogitatione brevissima excessisse[2]).

1) Mirum in modum scholiastae et Eustathius, a quo Delabarrius in eundem errorem deductus esse videtur, *ξυνοχὰς ὁδοῦ* de angustiis viae intellexerunt, quae illi loco ineptissimae quomodo in planitie (330. 359) fieri potuerint non perspicio. Neque enim de collibus huic parti arenae imminentibus poeta ullum verbum fecit. Fac autem praeter eum, ubi Idomeneus sedet (v. 451), alios quoque colles fuisse, ut in permultis hippodromis: tamen nequaquam tam prope ad metam accessisse putandi sunt, ut anfractum in angustias cogerent: flexuris enim circum metam bigis aliquantum spatii opus erat. Si angustiae fuissent, quare Nestor filium monet, ne equis se permittens per multum spatium huc illuc erret, sed prope metam flectat (v. 319—25)? Si prope metam non multum spatii fuisset, qui potuit ab ea longe aberrare? Rectior igitur mihi quidem videtur veterum illa, quam Eustathius affert, interpretatio: *κατὰ δὲ παλαιοὺς εἰπεῖν*, inquit, *συνοχή ἐστι τὸ τῶν σταδίων σιγματοειδές* (C), *ὁποῖον μάλιστα τὸ κατὰ τὸν καμπτῆρα εἶτουν τὴν νύσσαν*, qua de angustiis ne verbum quidem fit. In stadio, ubi *ξυνοχὴ* sive *σφενδονὴ* erat, ibi certamina stataria fiebant, ut pugilatio Qu. Smyrn. IV 342: *ἐνὶ ξυνοχῇσιν ἀγῶνος*.

2) Eustath. *ὁ ῥωχμὸς ὁ τὸν Μενέλαον ἀποκωλώσας τοῦ κατ' εὐθὺ δρόμου*. Schol. Ven. B 424 non recte: [*Ἀντίλοχος*] *ἐκ τῆς ὁδοῦ εἰς τὰς ῥωγάδας ἑαυτὸν δοὺς, ἵνα παρελάσῃ τὸν ἐντὸς ἔχων δρόμον ὀρθότερον καὶ*

Quoniam de metae ratione quae gravissima puto protulisse mihi videor, proximum est, ut de cursus et initio et fine dicam. Aurigae, postquam in currus escenderunt, quem quisque locum sortitus est, eum occupat (v. 352 sqq.). Hic mos stationes sortiendi in omnibus antiquitatis curriculis obvius (cfr. cap. I D et III A. Nonn. Dion. XXXVII 226: *καὶ κυνέης ἔντοσθεν ἐθήμονος ἄλλος ἐπ' ἄλλῳ | τυφλὴν χεῖρα τίταινε.* Soph. El. 709—11. Stat. Theb. VI 389. Paus. VI 20, 11) etiam ad nostra tempora servatus est et apud nos quidem multo etiam plus valet, quia nos aequandis condicionibus, quod ad equites ante cursum collocandos attinet, non eam quam veteres operam navamus. In nostris enim curriculis omnes certantes una recta fronte consistunt, quae propter magnam equorum concitationem non sine ullo equitum labore effici solet: ita exteriori spatiosiorem circulum percurrendum esse quam interiori neglegimus, quamquam hoc discrimen in equitibus minus valere concedendum est; nam paullo post initium cursus omnes interiori margini adhaerentes videbis. Verum in curruum certatione, quippe qui tam arte quam equites inter se conferciri nequeant, eiusmodi simplex dispositio iniquissima erat. Itaque Graeci, ut erant aequitatis in curriculis studiosissimi, sic certaturos currus collocaverunt, ut dextrum cornu tantum promineret, quanto plus spatii ei ad metam percurrendum erat quam sinistro, id quod, ubi semel tantum circumcurritur, ibi facile fieri potest. Hanc collocationem Homerus v. 358 his verbis significat: *στὰν δὲ μεταστοιχί* h. e. obliqua fronte, ut quo quisque dexteriorem stationem sortitus esset, eo magis promineret. Reicio igitur Doederlini interpretationem 'nebeneinander' (Glossar. Hom. No. 2050). Hoc enim si poeta dicere voluisset, *στοιχηδὸν* sive *ἐπὶ στιχὸς* sive *ὁμόστιχοι* potius dixisset: cum vero *μεταστοιχὶ* usurpavit, non modo *ἐπὶ στίχων,* sed etiam deinceps eos stetisse dicere voluit, nec vero ita, ut scholiastae cumque eis Eustathius cogitaverunt. Neque

---

φθάσῃ ἐπὶ τον καμπτῆρα. ὁ δὲ Μενέλαος τὸν ἀσφαλέστερον ἤλαυνε δρόμον. Namque metam uterque iam superavit.

enim absurdior interpretatio excogitari potest ea, quam illi protulerunt alium post alium πυργηδὸν κατὰ βάθος constitisse dicentes, ut a fronte eos spectanti primus solus conspiceretur. Eiusmodi collocationem iniquissimam esse nemo non videt. Recta interpretatio est media inter utramque falsam vel, ut geometrica imagine utar, diagonalis. Id quoque minus prudentis est quaerere: οὐ γὰρ κατὰ μέτωπον ἔστησαν, ἐπεὶ διὰ τί ὁ κλῆρος ἐπάλϑη; Si enim una recta fronte stetissent, nonne, ut diximus, condiciones iniquae fuerunt, quia quo quisque dexterior constitit, eo maius ei spatium percurrendum erat? Ubi autem condiciones iniquae sunt, eo magis est, quod de stationibus certaturi sortiantur, ne quis eorum cladem suam ludi magistris crimini det. Verum in eo cum veteribus interpretibus consentio, quod Aristarchi auctoritatem secuti illa verba στὰν δὲ μεταστοιχὶ a pedestrium cursorum certatione aliena putaverunt ideoque v. 757 deleverunt. Namque stadiodromis, utpote qui rectum spatium semel tantum permetiantur, nihil est, quod obliqua fronte ante certamen consistant. Testimonio sunt bathra in Olympiaco stadio reperta, a quibus cursores proficiscebantur (cfr. A. Boetticher: 'Olympia, das Fest u. seine Stätte' p. 232).

Poeta quoniam non id agebat, ut plenam hippodromi descriptionem proferret, multa, quae ad institutionem hippodromi pertinent, depingere praetermisit, quia haec aequalibus eius notissima erant. Nostra autem interest, ut quam perfectissimam illius hippodromi imaginem animo nobis proponamus, quae omisit, ea, quod eius fieri potest, supplere. Supersedit, ut id exempli causa ponam, de signo ad incipiendum cursum dato loqui. At qui potuerunt quinque uno eodemque tempore cursum incipere (v. 362: οἱ δ' ἅμα πάντες ἐφ' ἵπποιιν μάστιγας ἄειραν) nisi certo signo dato? Hoc signum quale fuerit, nescimus: forsitan pro simplicitate illius aetatis Achilles voce eos concitaverit. De signis posterioribus temporibus adhibitis infra verba faciam (cap. III). In nostris curriculis is, qui hoc munere fungitur ('der Starter'), vexillum passum prope ipsos certantes submittit simulque tintinnabula tertium sonant.

Minus etiam, quam de initio, comperimus de cursus fine. Hunc signo quodam, fortasse, si placet, eodem, quo aphesis significatum fuisse necesse est. Etenim si defuisset, quanam norma victoria diiudicanda erat? Nemo neque certantium nec spectatorum scivisset, ubinam iustus currendi finis esset. Ac quod Antilochus Menelaum capitis equini fere longitudine superat (v. 515—23), haec differentia a iudicibus non potest statui, nisi oculos ad columnam vel sudem vel metam vel tale quid ('Siegespfosten') collineant. Quam ob rem imago, quae currule certamen in Peliae mortui honorem institutum exhibet (Mon. d. Inst. vol. X. tab. IIII. et V.), non ita intellegenda est, quasi pictor tres ludi moderatores, Acastum, Argeum, Pheretem, ora contra quadrigas decertaturas convertentes facere voluisset: nam iumentis maximo impetu ruentibus obtriti essent — sed ita, ut aurigae inter eos et tripodes pervehantur. Ad horum enim, qui praemia propositi sunt, extremum iudices alius iuxta alium sedentes oculos videntur collineare. Hanc rerum rationem artifex eo significavit, quod iudices quippe spectanti propiores aurigis et equis aliquanto maiores depinxit.

B.

DE HIPPODROMO NONNIANO.

(Dionys. XXXVII 103—484.)

Nonnum, perpetuum Homeri sectatorem, etiam in pingendis ludis funebribus, quos Bacchus in honorem Opheltae (v. 101 sq.) celebrandos curat, exempli sui vestigia studiosissime persecutum esse, quin etiam ad verbum permulta transtulisse non est, quod mireris, modo aliqua ex parte eius rationem carminis componendi cognoveris. Quod in ceteris, idem fecit in describendo certamine equestri. Siquidem vero utriusque enarrationem perlegenti, quae paria et similia sunt, ea primo quoque obtutu facile apparent, haec pluribus persequi praetermitto discrimina potius prolaturus.

Gravissimum discrimen est, quod non unam solam, ut Homerus, sed duas metas ex posterioris aetatis usu posuit. Quoniam enim v. 105—12 unam metam descripsit, alteram quoque ab eodem Cyclope in terra fixam esse dicit:

ἶσον ἐκείνῳ
ἀντίπορον λίθον ἄλλον ὁμόζυγον ἐν χθονὶ πήξας.

Proinde non semel, verum compluriens curriculum circuitu peragitur — quotiens, accurate non dictum est — id quod ex vocula *ἀεὶ* in v. 205 colligi licet:

ἡνίοχος πολύμητις — ἰθύνει —
ἐγγὺς ἀεὶ περὶ νύσσαν ἄγων δρόμον.

Hoc enim adverbium Homerico loco, qui huic respondet, iure deest (v. 334):

τῷ σὺ μάλ' ἐγχρίμψας ἐλάαν σχεδὸν ἅρμα καὶ ἵππους.

Sequitur, ut apud Nonnum v. 289 *πύματος δρόμος* non de extremo unius solius circuitus spatio intellegendus sit, sed de integro circuitu plurium novissimo (cfr. p. 9). Id quoque ex ea re concludendum est Nonnianum hippodromum non tantae longitudinis esse potuisse, quantae Homericum, ut Aeacus minus pro usus necessitate ad exteriorem metam custodem mitti quam Homeri imitationi deberi videatur (v. 238—41 = Il. Ψ 359—61).

Alterum discrimen est, quod unus ex quinque certantibus, Phaunus, quadriga vehitur (v. 347. 432). Qua in re tametsi de Sole, avo suo (v. 414), exemplum cepisse dicitur (v. 168), tamen ab Homerico usu perquam discrepat. Namque Iliadis heroes et in proelio et in certamine bigis uti notissimum est, nisi quod interdum in pugna his duobus equis tertium *παρήορον* adiungunt (Il. Π 471. 474). Quos autem Neleus in Elidem de tripode certaturos misit (Λ 698: *τέσσαρες ἀθλοφόροι ἵπποι αὐτοῖσιν ὄχεσφιν*), ei quattuor equi non necessario quadrigam efficiunt, sed possunt duae bigae esse, qua in re scholiastae quoque consentiunt.

Ad haec notabiliora accedunt leviora quaedam. Aurigae enim cum apud Homerum, priusquam de stationibus sortiantur, in currus escendant, hic contra prius sortionem faciunt. Differunt etiam, ut hoc leviter perstringam, in modo sortiendi: ibi enim, ut solent (Il. Γ 316. 325. Ψ 861. Od. κ 206), sortes ab Achille in casside quatiuntur, donec singulae excidant (v. 353 sqq.); hic ipsi deinceps (*ἀμοιβαδίς*) velatis oculis sortes e casside promunt. Quod postquam fecerunt, ad certamen consistunt (v. 237):

ἱστάμενοι στοιχηδὸν ἀμοιβαίων ἐπὶ δίφρων.

Adiectivum *ἀμοιβαῖος* hic passivam vim habet quasi dictum sit: *ἀμειβομένων ἐπὶ δίφρων*. Saepissime idem est quod 'alternus' (v. 564: *συνοχμάζοντο γὰρ ἄμφω | χερσὶν ἀμοιβαίῃσιν*. XXXVIII 289. XXXIX 351. XLII 510. XLV 222. XLVIII 552. 857. XLVII 129. 154. 173). Alternant autem currus, quod antea nullo certo ordine dispositi nunc quam quisque stationem sortitus est, eam occupat: re vera igitur non currus permutantur, sed eorum stationes. Utrum vero alius post alium an alius

iuxta alium constiterit, ex adverbio *στοιχηδὸν* admodum ambiguo certo diiudicare haud potes. Nam *στοιχηδὸν* utrumque significat (v. 270: spectatores pluribus deinceps ordinibus considunt. XXXIX 7: naves eodem modo collocatae. XXXVIII 224: sidera zodiaci uno continuo ordine disposita. XLVII 736: tauri continua serie immolati. XXXVIII 107: deinceps narrare. XLVI 358: deinceps praebere. XL 214: mulieres in summis turribus alia iuxta aliam consistentes. XXXVII 678 de discobolis: *καὶ πίσυρες στοιχηδὸν ἐφέστασαν ἄλλος ἐπ' ἄλλῳ*, qui versus respondet Homerico *Ψ* 839: *ἑξείης δ' ἵσταντο, σόλον δ' ἕλε δῖος Ἐπειός*. Ne ex his quidem versibus quicquam de ordinis derectione concludi potest, quia et *στοιχηδὸν ἄλλος ἐπ' ἄλλῳ* et *ἑξείης* utrumque significant, et alium post alium et alium iuxta alium. Graeci nisi *κατὰ βάθος* aut *κατὰ μέτωπον* addunt, in hac re semper ambigui sunt). Credo Nonnum hoc versu nihil aliud dicere voluisse nisi una continua fronte alium iuxta alium constitisse. Non enim scholiastarum Homericorum absurditatem poetae nostro obtrudam, qui alium post alium ad certamen constitisse dixerint (p. 16). Hoc modo *στοιχηδὸν* interpretari vetamur etiam v. 242:

τοῖσι μὲν ἐκ βαλβῖδος ἔην δρόμος.

Cur enim tali norma opus erat, nisi una omnes excurrebant?

Sed admoneor voce *βαλβίς*, quae etiam v. 625 in cursorum certamine posita est, Nonnum partim in rebus hippodromicis nominandis ab Homero differre. Namque nomen *βαλβῖδος* ab Homerica verborum supellectile alienum posteriore demum aetate ortum videtur (a verbo *βάλλειν*? Cfr. *βόλβιτον* et Eustath. Od. p. 1404, 55. Il. *Ψ* 462: *ἵπποι περὶ τέρμα βαλοῦσαι*). Atque ut omittam *κέλευθος* pro Homerica *ὁδὸς* positam (v. 243. 260. 394. 397. 431), gravius est, quod curriculum non *ἱππόδρομον* sive *δρόμον* (hoc vocabulo modo cursum equorum significat v. 132. 141. 180. 198. 205. 211. 216. 219. 222. 234. 241. 242. 271. 276. 289. 309. 317. 353. 390. 450. 461) appellavit, sed *στάδιον* (v. 189. 246). Non credo propter hoc de vero stadio, in quo equestre certamen institutum sit, cogitandum, sed poetam generali significatione usum esse. Cum enim fieret, ut,

ubi natura loci non simul et hippodromo et stadio spatium praeberet, ibi et cursores et equi in eodem stadio certarent, et cum alterum curriculum alteri simillimum esset, nomen stadii generali quodam usu pro utroque usurpatum videtur (cfr. Sen. Thyest. 410: (cerno) celebrata iuveni stadia, per quae nobilis | palmam paterno non semel curru tuli. Dio Chrys. or. XXXII p. 428 v. 29 ed. Dindorf: *ἀπὸ σταδίοιο κελεύθου* de hippodromo. Stat. Theb. VI 595 sqq. in eodem curriculo, ubi equi cucurrerunt, cursores quoque certant). Quin etiam in gymnasiis nisi certando, at certe exercendo equos agitatos esse testatur locus Euripideus Hippol. 229, ubi Phaedra desiderium equos regendi his versibus persequitur:

δέσποιν' ἁλίας Ἄρτεμι Λίμνας
καὶ γυμνασίων τῶν ἱπποκρότων,
εἴθε γενοίμαν ἐν σοῖς δαπέδοις
πώλους Ἐνέτας δαμαλιζομένα.

In eiusdem Helenae v. 208 hippodromus a gymnasio secernitur:

(ὁ δ' ἐμὸς πόσις)
ἱππόκροτα λέλοιπε δάπεδα γυμνάσιά τε
δονακόεντος Εὐρώτα, νεανιᾶν πόνον. —

Illustrem Nonni descriptionem perlegenti nihil dubii relinquetur, quin poeta non solis auctoribus usus res tam dilucide ac significanter sub aspectum subicere potuerit, sed suis oculis talia, fortasse Alexandriae, identidem spectaverit spectataque rettulerit. Namque aurigas multiplici dolo inter se vexantes (vv. 242—68) et spectatorum multitudinem animis concitatissimis certantium varios casus persequentem (vv. 269—78. 439—52, quibuscum conferas Dionis Chrys. or. XXXII p. 428 Dind.) paene magis etiam praesentes verbis expressit atque effinxit quam Homerus. Praecipue vv. 276—78 illius aetatis consuetudinem prae se ferunt:

καί τις ἑοῦ προκέλευθον ἰδὼν δρόμον ἡνιοχῆος
χερσὶν ἐπεπλατάγησε καὶ ἴαχεν ἠθάδι φωνῇ
θαρσύνων, γελόων, τρομέων, ἐλατῆρι κελεύων.

Nam quamquam illud pronomen *ἑοῦ* ita interpretari licet, ut

quem quisque spectantium ducem in bello habet, ei aurigae maxime faveat, tamen non dubito, quin poetae nostri animo suorum temporum mos obversatus sit, quo spectatores singulis aurigarum coloribus solebant favere. Cuius rei lepidissimum habes exemplum in Ovidii Amoribus (III 2). Huc spectant etiam vv. 418 sq., quibus magica superstitio in illorum temporum circis pervulgata tangitur, et v. 440, quod primum exemplum est, quod sciam, moris in nostris curriculis usitatissimi ('Totalisator') sponsionum de victoria faciendarum.

Quod aurigae identidem cum gubernatore comparantur (v. 217: *ἔσσο κυβερνήτῃ πανομοῖος.* 207. 221. 310), id veterum cogitationibus multo promptius erat quam nostris, quia eorum navibus duo erant gubernacula: quorum cum gubernator dextrum reducebat, navis ad dextram pellebatur ut equus adducta dextra habena, eademque contra in sinistram valent. Quid quod etiam in nostris curriculis dicere solent: 'das Pferd steuern'? Sed etiam ex contrario gubernatores cum equestribus agonistis componuntur, ut in Apollonii Rhodii Argonauticis IV 1604—10 Iason Argo gubernans:

ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ θόον ἵππον ἐς εὐρέα κύκλον ἀγῶνος
στέλλῃ ὀρεξάμενος λασίης εὐπειθέα χαίτης
εἶθαρ ἐπιτροχάων· ὁ δ' ἐπ' αὐχένι γαῦρος ἀερθεὶς
ἕσπεται, ἀργινόεντα δ' ἐπὶ στομάτεσσι χαλινὰ
ἀμφὶς ὀδακτάζοντι παραβλήδην κροτέονται·
ὣς ὅγ' ἐπισχόμενος γλαφυρῆς ὁλκήιον Ἀργοῦς
ἦγ' ἅλαδε προτέρωσε,

quod est luculentissimum eius certandi generis exemplum, quod *κάλπη* appellatum multo ante huius poetae tempora a. a. Ch. n. CCCCXL Olympiae abolitum est (cfr. Paus. V 9, 1—2).

Non possum praetermittere, quin Nonnum peccati coarguam. Facit enim vv. 409 sqq. Phaunum ab Achate, quem ille collisurus est, admoneri, ut Actaeonem caveat, ne iterum ab eo de curru in pulverem deiciatur. Nec vero intellego, quo iure hoc faciat, siquidem Actaeon Phaunum, cuius equos prostravit (vv. 351 sqq.), iam dudum praetervectus (vv. 381 sq.) nec, cum iam novissimo circuitu decertetur (v. 289), denuo a

tergo consecuturus est: perinde etiam prius quam ille ad finem advenit (vv. 477 sqq.).

Nonnus Homerum in eo quoque secutus est, quod hippodromi planitiem loco depressiore intermissum fecit vv. 397 sqq. (= Il. Ψ 420 sqq.):

ῥωχμὸς ἔην βαθύκολπος, ὃν ἐξέρρηξε κελεύθου
χειμερίῃ μάστιγι Διὸς μετανάστιον ὕδωρ
ἠερόθεν προχέοντος· ἐεργομένῳ δὲ ῥεέθρῳ
ὄμβρου γειοτόμοιο ῥάχις κοιλαίνετο γαίης.

In hoc extremo versu *ῥάχις* quid sit quaeritur. Proprie est animalis spina prominens, ut XLI 187. XLIII 43 tauri. XLII 250 bovis. XL 47 ursi. XXXIX 349. XLI 18 Euri. XLV 342 *εἰς ῥάχιν ἄκρην* hominis. Inde transfertur ad locum editum spinae similem, velut XLI 15. XLVIII 37. 199 Isthmus spinae similis e mari promergens, XLVIII 73 montis Haemi, XLII 131. XLV 203. 229. 286. XLVI 3. XLVII 143. 205 collis silvestris. Sic saepissime de collibus usurpatur (ut Anth. Pal. VII 657: *Ποιμένες οἳ ταύτην ὄρεος ῥάχιν οἰοπολεῖτε*). Nostro autem loco collem significari nego. Ut enim collis sit, hic non per transversum hippodromum pertinere possit, sed secundum eius longitudinem. Ille torrens aut extra arenam aut intra secundum collem fluere cogitandus sit. Si extra arenam fluens collem excavaverit, ad aurigas haec excavatio nihil attinet, quia collem non superant, ne Achates quidem. Si intra arenam fluat, certantes collis cavernam nequeunt assequi propterea, quod amnem curribus superare non possunt: cavernam enim trans eum sitam esse necesse est. Cum igitur collis significatio non quadret, *ῥάχις* aut de acri torrentis margine aut de superficie terrae intellegendum est. Verum neutrum exemplis potest firmari. Contra etiam notio spinae pugnat. Immo latum et planum tergum cuiuslibet rei Graeci voce *νῶτον* appellant, ut v. 460 arenae. XXXIX 360. 390. XLIII 35 maris. XLII aetheris. Il. *Β* 159. Od. *γ* 142: *εὐρέα νῶτα θαλάσσης*. Pind. IV 26: *ἐξ Ὠκεανοῦ φέρομεν νώτων ὕπερ γαίας ἐρήμων εἰνάλιον δόρυ*. Plut. Flamin. 9: *Θεσσαλίας*. Unum investigavi locum, ubi, quid *ῥάχις* significet, dubitari possit, Anth. Pal.

VI 41 in epigrammate Agathiae Scholastici, quo agricola Callimenes Cereri rustica instrumenta vovit:

τμήξας εὐαρότου ῥάχιν ὀργάδος.

Verum nonne hic quoque collis notio aptissima est? Nonne permulti agri culti in collibus sunt siti? Quae cum ita sint, in voce ῥάχις mendum latere credo et scribo admodum leni mutatione ῥαγάς, quo vocabulo terrae fissura sive caverna significatur, velut Diod. Sic. I 39: „φησὶ γὰρ τὴν Αἴγυπτον ἅπασαν οὖσαν ποταμόχωστον καὶ χαύνην, ἔτι δὲ κισηρώδη τὴν φύσιν, ῥαγάδας τε μεγάλας καὶ διηνεκεῖς ἔχειν“. Ῥαγὰς autem κοιλαίνετο γαίης ea figura dictum est, qua tritissima poetae, quod verbo fieri dicitur, id substantivo iam factum anticipant: ʽCoartato autem fluctu pluviae terram corrodentis caverna excavabatur terrae'.

C.

DE QUINTI SMYRNAEI HIPPODROMO.

(Posthomerica Δ 500—95.)

In ludis funebribus Achilli a matre Thetide celebratis, quos iam ab extremi Odysseae carminis poeta in transcursu tactos (vv. 85—92) Quintus fusius atque ornatius enarravit, nihil memorabilius videtur quam quod curruum certamini adicitur equitum, quod plane novum et apud epicos quidem singulare multo magis nostros animos allicit quam currule ex aliis descriptionibus simillimis satis notum atque eo magis, quia huius apud Quintum magna pars temporum iniquitate periit. Quam ob rem ego quoque ad equitum certationem considerandam prius me convertam de curruli posthac acturus.

Primum quidem quaeritur, quanam causa Quintus adductus a vetere epicorum more paene sollemni in ludis funebribus sola currulia certamina depingendi discesserit. Utrum fontes suos secutus id fecit an ipse de suo novavit? Hoc ut credamus, nullam probabilem video causam. Cur enim id fecisse putandus est, nisi res antiquas ad suae aetatis morem componere voluit? Illius vero aetate (IV. p. Ch. saeculo), qua Romanorum auctoritas etiam in circis Graecis iam pridem praevalebat, currulium certaminum frequentatissimo usu equitum certationes iam paene obrutae erant. Quid igitur erat causae, cur eas in carmine resuscitaret? Quapropter magis inclinat animus, ut equitum certamen, quod post longam curruum certantium descriptionem sine detrimento desse potest, a poeta nostro e fontibus suis repetitum arbitrer. Cum Homerus eius rei auctor non sit, cyclici cuiusdam poematis auctoritatem eum

secutum esse simillimum est veri. Etenim Arminii Koechly sententia (proleg. ad edit. Q. Smyrn. p. XXVI): 'Secutus est Homerum' mihi quidem nimis severa atque angusta videtur esse. Si verum est, quod idem vir doctus (proll. p. X) conicit, cyclica carmina illis temporibus iam non lecta esse, at certe posterioris aetatis, fortasse Alexandrinae, vel nisi hoc sufficit, etiam inferioris, carmine uti potuit, quod materiem a cyclico illo per plures, si lubet, manus repetebat. Ac cyclica poemata perlustranti nullum mihi videtur aptius, ad quod huius rei novae origo referatur, quam Arctini Aethiopis. Hunc enim primum equitantes Amazones cumque his alios quoque heroes de equis pugnantes in heroum carmen induxisse probabilis est sententia Welckeri (Ep. Cycl. II. p. 215 sqq.), cui nuper monumento apud Gjoelbaschi-Trysa, vicum Lyciae, reperto et a Benndorfio Vindobonam transportato novum additum est adminiculum. In hyperthyro huius aedis, cuius originem archaeologici ad minimum quarti a. Ch. n. saeculi initio tribuunt, Amazones vario habitu de equis dimicantes fictae sunt, unde equitantium Amazonum opinionem tum temporis in illis certe regionibus pervulgatam fuisse elucet. Quod non mirum est idcirco quia Amazones quippe ab oriente profectae Asiae gentium cogitationibus multo magis obversabantur quam occidentalium. Neque obliviscaris Milesium fuisse Arctinum. Quintus autem noster si Homeri servilis sectator exsistere voluisset, ne aliis quidem locis equites proeliantes inducere debebat, quod saepius fecit (cfr. Welckeri ep. Cycl. II. p. 218 adn. 87).

In eo quoque ab Homerica consuetudine discessit, quod nec nomina omnium equitum nec numerum accurate attulit (vv. 545 et 589 ἄλλοι). Duorum solorum nomina comperimus, Agamemnonis, qui, ut antea frater Menelaus, victor e certamine procedit (v. 580), et Stheneli secundo praemio ornati (vv. 564. 581 sq.). Accedit, ut non in Homerico hippodromo certatio fiat, sed, ut apud Nonnum, in bimetato quem uno verbo appellaverim. Namque vv. 565 et 583 Stheneli equus saepe (πολλάκις) dicitur a meta aberrare (cfr. p. 9 sq.), ex qua

re saepius equos circumagi concludendum est. Atqui ubi saepius quam semel circumagitur, ibi duabus metis opus est. Num etiam curribus certantes plures circuitus confecerint, etsi propter magnam post v. 524 lacunam ex ipsis poetae verbis iam elici non potest, tamen pro certo stat, quia nisi ita fuisset, certamini alteri altero curriculo opus fuisset (cfr. p. 9), quod alioquin inauditum est. Adverbium ἑτέρωθι in v. 545 non alterum hippodromum, sed alterum eiusdem arenae latus significat (cfr. v. 215). Cum enim aurigae in sinistra arenae parte decertaverint, iam equites in dextra ad cursum se accingunt. Proinde in contractiore hippodromo, qui oculis terminari possit, ille σκοπὸς dest, qui et apud Homerum et apud Nonnum (p. 19) ad metam exteriorem custodiendam delegatur. Omittitur etiam, ut id quoque ab Homero et Nonno dissonum hic moneam, qui uni e certantibus de aurigandi arte praecipiat: hoc quominus lacunae demus, prohibemur versibus ei antecedentibus (vv. 506—9), quibus iam principium cursus describitur.

Sed nunc videamus, ecquid ex reliquiis colligere possimus, quo illa lacuna expleatur. Haec fere in ea scripta fuisse arbitror. Magnam eius partem expleverat infortunium Thoantis et Eurypyli, qui vv. 538—40 medici Podalirii curae traduntur. E curribus enim deiectorum ora laesa erant (v. 540). Qua re facta Menelaus utrumque praeoccupavisse putandus est. Eumelum quoque initio, ut in Iliade Ψ 376, ceteris praevolantem (v. 522) superavit, quia vincit (v. 541). Hac victoria equi eius spectatorum oculos in se convertunt, et unus ex eis illos eorumque possessorem laudibus extollit (v. 533). Eiusmodi laudationem optime Nestori, homini sermone promptissimo, convenire facile unusquisque concedet, cum praesertim is pro aetate sua et notitia aptissimus sit, qui de equorum origine aliquid narret: de his enim sermonem fuisse extrema oratione, quae servata est (vv. 526 sqq.), docetur. Orti esse existimandi sunt ab eis equis, quos Pelops, avus Atridarum, a Neptuno dono acceptos Oenomao superato ex Elide secum duxit (v. 526), nisi forte iidem sunt. Achillis certe equi a Neptuno per manus Pelei et Achillis in Neoptolemi hereditate traditi in tertio

libro (vv. 755—62) referuntur: nam immortales sunt (v. 757. VIII 27. IX 215. Il. *P* 476. *Ψ* 277).[1]) Immortales autem Pelopis quoque equi fuisse censendi sunt quippe a deo donati. Il. *Ψ* 295 Menelaus ab Agamemnonis Aetha et suo Podargo vehitur. Aethen Agamemnon ab Echepolo dono acceperat, quapropter ad nostrum locum non quadrat. Etiam in lacuna, quae post versum 573 hiat, de hereditario equo ab Arione illo orto sermo fuit.

V. 525 ex ipsius Menelai laude reliquum esse credo (Similiter Il. *X* 241 de Achille: *τοῖον γὰρ ὑποτρομέουσιν ἅπαντες.* cfr. Koechly adnot.).

Ut apud Homerum, quinque ad curruum certamen consurgunt, quin etiam ex parte iidem sunt atque illic, ut Eumelus et Menelaus: Antilochus interim in pugna cecidit (Qu. Smyrn. II 256—400. 447). Hic quinio in mythicis certaminibus fere constans est: ut apud Nonnum (XXXVII 154—73), sic etiam in Peliae ludis funebribus (Paus. V 17, 9) occurrit. Qui in Statii Thebaïdis VI 301—50 in arenam descendunt, ei septem septem contra Thebas ducibus respondent.[2])

Solent tot ad certamen consurgere, quot exposita sunt praemia, ut quisquis honestum in modum ad finem pervenit, praemium accipiat (cfr. Verg. Aen. V 305: Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit). Praemiorum pretia a primo ad infimum decrescunt. Equus secundum ordinem obtinet (Il. *Ψ* 265 sq.[3]) Nonn. XXXVII 121 sqq. et 617. Verg. Aen. V 310 et Stat. Theb. VI 644 primum obtinet locum). Apud Quintum autem primo solus victor Menelaus praemio ornatur (vv. 541—44), ceteri omnes finitis demum certationibus (v. 589), apud Statium Theb. VI 530—49 primus et secundus, apud Vergilium l. l. vv. 310—15 primus, secundus, tertius.

1) Cfr. etiam Stat. Theb. VI 311—15.

2) Pedestres cursores in Homeri Iliadis *Ψ* 754—57 tres certant, totidem apud Nonnum Dion. XXXVII 614 sqq., apud Quintum IV 185 duo, in quibus Aiax Locrensis, qui iam in Iliade certavit, in Peliae ludis funebribus quinque (Paus. V 17, 9), in Vergili Aeneide V 293—302 et Statii Thebaide VI 560 multi.

3) Cfr. scholia.

Non possum credere sortitionem, utpote quae a ceteris semper memoretur (p. 15 sq.), a Quinto silentio praeteritam esse, sed mentionem eius in v. 506 compluribus corruptelis obnoxio latere conicio. In quo versu emendando quantopere viri docti ingenium exercuerint, facile ex Arminii Koechly commentario cognosces. Codices sic eum exhibent:

αἶψα δ' ἄρ' εἰς χῶρον ξύνισαν βεβαῶτ' ἐνὶ δίφροις
χῶρον ἀν' ἠμαθόεντ'.

Clausulam versus mendosam esse in aprico est propter dualem de quinque aurigis absonum. Assensus eis, qui verborum loca permutant, scribo: *δίφρους βεβαῶτες*. Hic accusativus, qui Homerico exemplo nititur (*Γ* 262 *πὰρ δέ οἱ βήσετο δίφρον*), ne a Quinti quidem dictione alienus (Koechly proll. cap. II. § 18. cfr. etiam vv. 518. 565), quod rarius occurrit, glossemate explicatus est: glossema autem in textum irrepsit. Codex enim Monacensis perpetuo glossarum apparatu exornatus est (Koechly proll. p. CII). *Χῶρον* autem, quod propterea, quia idem verbum continuo iteratur, ferri nequit, librarii lapsu pro *κλῆρον* scriptum esse credo. Sic igitur versum restituo:

αἶψα δ' ἄρ εἰς κλῆρον ξύνισαν δίφρους βεβαῶτες
χῶρον ἀν' ἠμαθόεντ'.

Nolo multis meam coniecturam commendare [1]), ceterorum refutare. Id certe mihi persuasi et leni mutatione et bona sententia ceteris eam praestare. Accedit, quod Homerico versui (Il. *Ψ* 352) meus optime respondet:

ἂν δ' ἔβαν ἐς δίφρους, ἐν δὲ κλήρους ἐβάλοντο.

Sequuntur apud Quintum verba:

ἐπὶ νύσσης δ' ἔσταν ἕκαστοι.

Hac *νύσσα*, a qua equites quoque proficiscuntur (v. 550: *οἳ δ' ἀπὸ νύσσης | καρπαλίμως οἴμησαν,* = v. 195), videtur interiorem poeta metam significare. Habebat igitur triplicem finem: primum, ut circa eam, ut circa exteriorem, flecteretur, alterum,

---

1) Cfr. similem Arriani locum: *εἰς κλῆρον αὐτοὺς καθίστασθαι ἐδικαίου.*

ut inde cursus inciperetur, tertium, ut hic finiretur. Credo animo poetae hos versus componentis illum Homericum obversatum esse (Ψ 758):

τοῖσι δ' ἀπὸ νύσσης τέτατο δρόμος.

Sed is de pedestribus cursoribus dictus est, qui cum non circum metam flectant, a signo quodam procul posito ideoque propter metae exterioris similitudinem *νύσσα* appellato ad iudices versus currere ducendi sunt. Similem veterum interpretum sententiam Eustathius ad hunc versum profert: *Εἰς δὲ τὸ ἀπὸ νύσσης φασὶν ὅτι δόλιχος ἦν ὁ δρόμος καὶ ἡ ἄφεσις ἀπὸ τοῦ καμπτῆρος ἐγένετο ἄνω πρὸς τὴν ἀφετηρίαν*, nisi quod perperam de dolicho cogitaverunt. Rectius enim schol. Ven. B stadium intellegens: *Ὀλίγος τις ἦν*, inquit, *ὁ δρόμος, ἔνθα μηδὲ κάμψαι ἐνῆν. | ἐπεὶ οὖν μὴ κάμπτουσιν, οὐ ταμιεύουσιν εἰς τὸ τέλος τὸ τάχος, ἀλλ' εὐθέως προπηδῶσιν* (= schol. Townl.).

D.

DE HIPPODROMO STATIANO.

(Theb. VI 296—549.)

Ne Statium quidem periculum suae aetatis usum circensem descriptoni Nemeorum in Archemori laudem primum celebratorum hic illic immiscendi evitasse quamquam vix est quod urgeam in summa illis temporibus circensium ludorum frequentia, tamen ut, qui et quoad id fecerit, accuratius cognoscas, singulas res diligentius considerans secernere conabor. Cum res Thebaïde enarratae aliquanto ante bellum Troianum acciderint, iure exspectamus hippodromum si non Homerico simpliciorem, at certe ei parem fuisse. Verum aliter res se habet apud Papinium. Eius enim animo posterioris aetatis hippodromus obversatus est, cum dicit vv. 255—60:

Collibus incurvis viridique obsessa corona
Vallis in amplexu nemorum sedet: hispida circum
Stant iuga, et obiectus geminis umbonibus agger
Campum exire vetat, longo quem tramite planum
Gramineae frontes sinuataque caespite vivo
Mollia non subitis augent fastigia clivis.

Ab Homerico hippodromo, ut omittam ibi unius tantum collis cacuminis mentionem fieri (Il. Ψ 450), cum ars tam aliena sit, ut etiam dubitari possit, num unquam prius equis ibi certatum sit (ibid. vv. 331 sq.), haec vallis, ubi collibus non circumclusa hiat, transverso aggere saepta est. Quomodo autem hunc aggerem exstructum putas nisi manibus hominum? Quid quod de 'geminis umbonibus' sermo est? Hi, de quibus video interpretes valde dubitare, nihil aliud mihi videntur esse quam

geminae turres, quae in circis Romanis — de Graecis testimonia desunt — utrique carcerum fini impositae erant. Diversas enim res prominentes a Statio hoc vocabulo significari ostenderunt Amarius et Lemairius in editione sua ad I 377. Accedit, quod veri carceres postibus Romanorum more praeclusi commemorantur v. 392:

stant uno margine clausi

et evidentius vv. 389 sq.:

impulsi nequeunt obsistere postes
Claustraque, compressae transfumat anhelitus irae.

Hoc quoque ex Romanorum consuetudine fictum est imagines pompa ante certamen per circum deduci (vv. 265 sqq. cfr. Ov. am. III 2, 44 sqq.). Ab his, quas adhuc attuli, rebus mirum quantum discrepat metarum descriptio vv. 351—54:

Metarum instar erat hinc nudo robore quercus,
Olim omnes exuta comas, hinc saxeus umbo
Arbiter agricolis: finem iacet inter utrumque,
Quale quater iaculo spatium, ter harundine vincas.

Non dico, quod duas metas posuit — nam hoc cum Nonno et Quinto et suae omnino aetatis usu commune ei est — sed quod, qui hippodromo exstruendo artem adhiberent, eos ne metas quidem artificiosas effecisse nos vult credere. Paene ridiculum est, cum alioquin de aggere, de carceribus, de turribus verba faciat, uno eum anhelitu viles illas atque exoletas metas inducere. Vereor ne Homeri intempestiva imitatio (Ψ 326—33) ludos ei fecerit. Utrum quercus an lapis interior meta sit, aperte nusquam dictum est: etenim v. 479 commemoratur tantum sine ulla alia significatione. Quoniam autem v. 351 arbor priore loco affertur, hanc a carceribus in arenam prospicienti priorem fuisse arbitror. Sed hoc leviculum. Eo quoque naturalem et quasi fortuitam speciem hippodromi servare studuit, quod metae non inter se coniunctae sunt spina. Potest certe in tanta curruum paucitate spina omitti, sed cum illum aggerem arte exstructum posuerit, quid obstabat, quominus spinam quoque poneret? Ne id quidem accurate comperimus, quotiens

circum has metas cursu flexum sit. Inde a versu 404 usque ad versum 440 spatium permetiuntur e carceribus ad metam exteriorem: non enim Arion, si iam compluriens arto anfractu, ut decet, metam ambisset, subita libidine et varietate ductus ab ea exerrasset. Vv. 445—53 in altero latere ad metam inferiorem revertuntur, v. 454 secundum curriculum inituri. V. 469 quarti orbis initium diserte commemoratur, v. 479 eius finis ad interiorem metam. Dehinc quae fiunt, quot gyris tribuenda sint, in suspenso relinquitur: nam v. 496 (= Il. Ψ 373) iam decertatur. Potest inter duo haesitari, utrum XII, ut in Graecis, an VII, ut in Romanis circis, circuitus efficiantur: hoc, quod poetae in aliis quoque rebus, ut vidimus, suorum temporum instituta recipienti promptius est, veri videtur similius.

Ut autem, quantum suae aetatis auctoritas ad res antiquas describendas valuerit, etiam magis proderet, poeta septem aurigas universos quadrigis fecit decurrentes (cfr. p. 19). Id nisi aperte dictum esset (v. 370), ex nominibus equorum vix concluderes. Nam vv. 460—66, ubi nominibus aurigae equos, ut solent, adhortantur, Admeti tres, Amphiarai tres [1]), reliquo-

1) Aschetus, Cygnus, Caerus v. 524 (cfr. Welcker ep. Cycl. II adn. 110). Haec nomina Statius non ex Antimachi Thebaide videtur sumpsisse, quod ibi duorum tantum equorum alia nomina fuisse scholiasta ad Pind. Ol. VI 21 testatur: *κατεπόθη δὲ Ἀμφιάραος, οἱ μὲν περὶ Ὠρωπόν, οἱ δὲ περὶ Κλεωνάς· τοὺς δὲ ἵππους αὐτοῦ φησιν Ἀντίμαχος εἶναι ἀσυστάτους, οἱ δὲ Θεσσαλούς, ὀνόματα δὲ αὐτῶν Θόας καὶ Δίας* (cfr. Kinkel epic. Graec. frg. I p. 285). Vocem *ἀσυστάτους* corruptum esse iam Meinekius (Anal. Alex. p. 54 frg. XIX.) suspicatus est. Desideratur enim nomen gentile, quod Thessalis opponatur. Ungero *Ἀσβωτίους* tentanti vix fidem habebis (cfr. Duebner Antimachi frgm. XXIII.), quod pro Antimachi nomine Euphorionis ponat oportet et Stephano Byzantio teste Asbotus urbs est Thessaliae. Stollius proposuit *Ἀμυκλαίους* collatis Statianae Thebaidis libri IV vv. 214—23 et libri VI v. 329. Sed ibi Taenarii equi commemorantur, quibus Amphiaraus Amyclarum aliarum urbium civibus comitantibus vehitur, hic de Castoris Amyclaeis habenis sermo est: neutro igitur loco Amyclaeorum ipsius vatis equorum mentio fit. Propius ad traditam lectionem me applicans lenissima mutatione pro *ἀσυστάτους* scribo *Ἀσβυσταίους*. Quod ut defendam, Herodoteum locum afferre satis est (IV 170): *Γιλιγαμμέων δὲ ἔχονται τὸ πρὸς ἑσπέρης Ἀσβύται· οὗτοι*

sum singuli equi appellantur. Possis putare, ubi unius modo equi nomen afferatur, ibi ex more Romanorum sinistrum significari (p. 9). Sed praeterquam quod interior equus, quippe cui minor orbis conficiendus sit, praeter ceteros incitari non solet, Arionis quoque exemplo haec sententia reicitur. Hunc enim, qui solus e Polynicis equis nomine laudatur, non sinistrum funalem, sed unum ex iugalibus esse e v. 503 discimus:

erectus in armos
Stat sociumque iugi comitesque utrimque laboris
Secum alte suspendit equos.

Ac dextrum quidem credo eum iugalem esse, si summum eius impetum specto. Neque enim id e versu 444 concludere velim:

Spargitur in gyros dexterque exerrat Arion,

ubi dexter idem est quod dextrorsum (Recte verterunt Bindewaldius: 'nach rechts in weitem Bogen abirrte' et Imhofius: 'und rechts abschweifte vom Wege'). Solebant autem veteres quo cuique circensium equorum maior erat impetus, eum ad dextram iungere, qui mos inde nostris quoque aurigis mansit. Quae cum ita sint, tardissimus quisque equus ab aurigis promiscue excitari putandus est. Forsitan Papinius in fontibus suis omnium nomina non invenerit. —

Vv. 402 et 403 in libris manuscriptis sic legimus:

Circumstant fidi nexusque et torta iubarum
Expediunt firmantque animos et plurima monstrant.

τὸ ὑπὲρ Κυρήνης οἰκέουσι. ἐπὶ θάλασσαν δὲ οὐ κατήκουσι Ἀσβύται· τὸ γὰρ παρὰ θάλασσαν Κυρηναῖοι νέμονται. τεθριπποβάται δὲ οὐκ ἥκιστα, ἀλλὰ μάλιστα Λιβύων εἰσί, νόμους δὲ τοὺς πλεῦνας μιμέεσθαι ἐπιτηδεύουσι τοὺς Κυρηναίων. Pro forma *Ἀσβύται* usitatior est *Ἀσβύσται* (ut Callim. hymn. II 76. frg. 13. Lycophr. 895 alibi). Si quaeris, qui Amphiaraus huius gentis equos possidere potuerit, clarissimi Cyrenaicorum equi, qui saepius titulorum Panathenaicorum testimonio in Graecorum certaminibus victores prodibant, quin a Graecis plurimi aestimati atque valde expetiti fuerint, nullus dubito. Merito Amphiaraus, nobilissimus ille auriga, optimis equis exornatur. Quod enim Asbystae praestantissimi quadrigarum aurigae appellantur, inde de equorum quoque excellentia concludere licet.

Nec vero intellego, quaenam aurigandi artis peritissimis monstrare debuerint. Scribo igitur:

Expediunt firmantque animos et plura ministrant,

quae mutatio lenissima est, si praesertim prior litera n in verbo monstrant lineola superscripta significata erat. Sententia vero sic efficitur, quae unicuique aperta sit ad intellegendum. Namque poeta, quoniam duo fidorum ministeria commemoravit, plura enumerare supersedet. Plura addidit Apollinaris Sidonius carm. XXIII 325—30 nostrum locum imitatus:

Continent ministri
Ora et lora manus iubasque tortas
Cogunt flexilibus latere nodis
Hortanturque obiter iuvantque blandis
Ultro plausibus et voluptuosum
Dictant quadrupedantibus furorem.

Suspicor Sidonium Statii versum ita legisse, ut ego eum scripsi.

II.

DE LAEVO GYRO.

Veteres et Graecos et Romanos et, quod ex eorum consuetudine conicere licet, fortasse ceteras quoque antiquitatis gentes in curriculis semper et ubique[1]) equos in laevum gyrum duxisse quamvis res sit nota, tamen plenioribus quam adhuc factum est testimoniis demonstrabo. Ac ne periculo quidem repellar locos, quos cap. III A afferam, ex parte praecipiendi. Cum enim scriptores, praesertim poetae, equos certantes longe saepissime eo potissimum tempore describant, quo circa metam flectunt, quia id tempus pro periculo suo animos in summam exspectationem adducit, fit ut iidem fere loci simul huc et illuc spectent. Sunt autem testimonia, in quae auctores perscrutatus incidi, haec:

Il. Ψ 335—38:

αὐτὸς δὲ κλινθῆναι ἐυπλέκτῳ ἐνὶ δίφρῳ
ἦκ' ἐπ' ἀριστερὰ τοῖιν· ἀτὰρ τὸν δεξιὸν ἵππον
κένσαι ὁμοκλήσας, εἶξαί τέ οἱ ἡνία χερσίν.
ἐν νύσσῃ δέ τοι ἵππος ἀριστερὸς ἐγχριμφθήτω.

Soph. El. 720—22:

κεῖνος δ' ὑπ' αὐτὴν ἐσχάτην στήλην ἔχων
ἔχριμπτ' ἀεὶ σύριγγα, δεξιόν τ' ἀνεὶς
σειραῖον ἵππον εἶργε τὸν προσκείμενον.

ib. 743—45:

ἔπειτ' ἀνέλκων[2]) *ἡνίαν ἀριστερὰν*
κάμπτοντος ἵππου λανθάνει στήλην ἄκραν
παίσας.

---

1) Excipio dimicationes in circis Romanis factas, ubi qui equitum e sinistris carceribus excucurrerant, dextra quadrupedabant. Sed ego hic sola certamina curo, non dimicationes.

2) Arndtius. Vulg.: *ἔπειτα λύων.*

Nonn. Dion. XXXVII 217—20. 207—9:

ἀμφότερον δέ,
κέντρῳ ἐπισπέρχων προχέων πλήξιππον ἀπειλὴν
δεξιὸν ἵππον ἔλαυνε, θοώτερον εἰς δρόμον ἕλκων
ἀθλιβέος μεθέποντα παρειμένα κύκλα χαλινοῦ,
σκέπτεό μοι καὶ σφίγγε κυβερνητῆρι χαλινῷ
δοχμώσας ὅλον ἵππον ἀριστερὸν ἔγγυθι νύσσης,
λοξὸς ἐπὶ πλευρῇσι παρακλιδὸν ἅρμα βαρύνων.

Ovid. Amor. III 2, 81—82:

Quid facis, infelix? perdis bona vota puellae.
Tende precor valida lora sinistra manu.

Sil. Ital. XVI 362—64:

At docilis freni et melior parere Pelorus
Non unquam effusum sinuabat devius axem,
Sed laevo interior stringebat tramite metam.

Luc. Phars. VIII 199—201:

Non sic moderator equorum
Dexteriore rota laevum cum circuit orbem,
Cogit inoffensae currus accedere metae.

Accedunt ad haec poetarum testimonia monumenta. Ex eorum autem numero ea sola huc referri queunt, quae aut integrum hippodromum aut certe spinam vel metam exhibent, quia e gradu equorum de gyri regione, ut mox videbimus, prorsum nihil potest colligi. Ac Graeca quidem monumenta, in quibus vel utraque hippodromi arena vel spina depicta sit, non novi. Hoc in Italicis modo factum esse reperio.[1]) Sunt autem Graeca, in quibus metam habemus. Videmus enim in nonnullis vasorum imaginibus columnam appictam, qua pro meta posita certamen significari arbitror. Cum autem in eiusmodi simulacris meta et spina, si picta sunt, semper ad laevam certantium sint, inde laevo eos gyro decurrere elucet.

Sed minus notam quam ipsam rem rei causam esse existimo. Ut in aliis rebus, sic etiam in equestribus veteres dili-

1) Mus. Pio-Clem. V. tab. XXXVIII—XLIII. Delaborde Pavimento tab. XV no. I, ubi luculentum spinae obliquae exemplum habes.

gentissimos naturae observatores et fautores invenies. Animadverterant enim equorum naturam ita comparatam esse, ut sinistra quadrupedare [1]) quam dextra malint. Cuius rei causam ex natura petitam Godofredus Hermannus in Commentatione de verbis, quibus Graeci incessum equorum indicant (op. I 69 sqq.), recte profert: 'Non est autem', ait 'consuetudo illa equos in curulibus certaminibus in laevam flectendi temere orta. Nam equi nulla arte et disciplina eruditi natura fere solent tolutim sinistra ire, quia sic in utero gestantur, ut dextro armo magis coartato liberior sit sinister'. Porro equum quadrupedo gradu incedentem sive angulo sive gyro facto de recta subito deflectes, ea semper quadrupedatim progredi necesse est, qua eum flexisti: si igitur ad sinistram eum deflectes, sinistra quadrupedare perget, sin ad dextram, dextra: quod ut faciat, nisi a rectore incitatur, ipse sua sponte facit, ne labatur.[2]) Quare fit, ut equus sinistra exempli gratia quadrupedatim recta decurrens, si repente ad dextram deflecti cogitur, gradu immutato dextra quadrupedare pergat, quod non sine ulla perturbatione fieri solet, si praesertim non satis hoc exercitatus sit atque animo concitato. Deinde id quoque sciendum est fieri non posse, ut auriga solo verbere quattuor equos una aut dextra aut sinistra admittat, quia non uno eodemque tempore omnium latera potest verberare. Fac igitur dextro orbe aurigam rudibus equis velle decurrere. Nonne periculum est, ne nisi omnes, nonnulli certe equi pro sua natura sinistra quadrupedare incipiant? Id dum recta vehitur, nihil ei affert detrimenti, nisi quod cursus, si vario gradu incedunt, minus est constans ac compositus. Cum vero circum metam artissimo circulo ad dextram paene retro ei flectendum

1) Discedendum putavi ab ea equorum incessus Latina significatione, quam Godofredus Hermannus adhibuit. Quod enim apud illum 'tolutim ire', idem apud me est 'quadrupedare, quadrupedatim ire, quadrupedo incedere' ('galoppieren'), cum scriptorum locis examinatis mihi persuaserim tolutim potius id significare, quod nos 'Trab' sive 'Trott' appellamus.

2) Xen. de re equ. c. VII § 12: *Καὶ γὰρ πέφυκεν ὁ ἵππος εἰς μὲν τα δεξιὰ στρεφόμενος τοῖς δεξιοῖς ἀφηγεῖσθαι, εἰς εὐώνυμα δὲ τοῖς ἀριστεροῖς.*

est, fieri non potest, quin equi sinistra hactenus ingressi hic gradum commutent. Hac autem perturbatione periculum metae circumeundae, quod ipsum satis magnum est, valde augeri nemo non intellegit. Accedit, ut equi dextra dehinc quadrupedantes de celeritate remittant, quoniam eiusmodi quadrupedi gradu maiore molestia incedunt. Has difficultates veteres evitabant, quod equorum naturae concedentes laevo gyro decurrebant. Sic enim non verendum erat, ne equi falso gradu inciperent neve metam ambeuntes gradum mutarent: verum prout natura erant comparati, sinistra quadrupedare incipiebant, sinistra usque ad finem aeque pergebant. Continua consuetudine fiebat, ut equi naturali gradu magis magisque exculto et exercitato dextra quadrupedatim incipere plane neglegerent ac repudiarent.

Hic mos a currulibus certaminibus etiam ad equitum transferebatur, quamquam equiti et crurum et verberis et habenarum auxilio equum utrovis gradu admittere multo facilius est.

Sed non in certaminibus solum, verum etiam in decursionibus funebribus aliusque generis laevum gyrum praeferebant (cfr. Il. Ψ 5—14. Ω 14 sq. Qu. Smyr. III 694 sqq.). Id quidem ostendit praeter simulacrum in Mus. Pio-Clem. vol. V. tab. XXX adumbratum Ovidii locus Metam. VI 225 sqq. de Niobae filiis in campo decurrentibus:

E quibus Ismenos, qui matri sarcina quondam
Prima suae fuerat, dum c e r t u m f l e c t i t i n o r b e m
Quadrupedis cursus spumantiaque ora coërcet,
'Ei mihi!' conclamat, medioque in pectore fixa
Tela gerit frenisque manu moriente remissis
In latus a d e x t r o paulatim defluit a r m o.

Ex hoc novissimo versu in laevum gyrum eos decucurrisse apparet. Nisui enim, qui a medio extrema avertit, Ismenos moribundus iam non resistens extrorsum ex equo excutitur. Tamen neque ex hoc loco neque ex illa imagine concludi licet equites dextrorsum omnino non equitavisse. Minime. Nam imago unum modo punctum temporis figens non potest utrumque gyrum una ostendere, et apud Ovidium incipiunt modo decurrere. Si enim diutius equitantes poeta descripsisset, non

dubito, quin de variis gyris dicturus fuerit, ut Vergilius in Aeneidis V. libro Troianum agmen depingens vv. 580 sqq.:

'Olli discurrere pares atque agmina terni
Diductis solvere choris rursusque vocati
Convertere vias infestaque tela tulere.
Inde alios ineunt cursus aliosque recursus
Adversi spatiis alternosque orbibus orbis
Impediunt pugnaeque cient simulacra sub armis.'

Tales decursiones non possum mihi animo cogitare nisi variis gyris ('Volten') et sinistrorsum et dextrorsum factis. Disertius autem Statius in Theb. VI 233 sqq. decursionem circum Archemori tumulum factam narrans:

'Tunc septem numero turmas (centenus ubique
Surgit eques) versis ducunt insignibus ipsi
Graiugenae reges, lustrantque ex more sinistro
Orbe rogum et stantes inclinant pulvere flammas.
Ter curvos egere sinus, inlisaque telis
Tela sonant, quater horrendum pepulere fragorem
Arma, quater mollem famularum bracchia planctum.
Semianimas alter pecudes spirantiaque ignis
Accipit armenta; hic luctus abolere novique
Funeris auspicium vates (quamquam omina sentit
Vera) iubet: dextro[1]) gyro et vibrantibus hastis
Hac redeunt' e. q. s.

Incipiebant autem veteres laevo gyro etiam in exercitationibus, quod Xen. de re equ. capitis VII. gravissimi § 11 testatur: *ἐπείπερ δὲ καὶ ἀπὸ τῶν ἀριστερῶν ἄρχεσθαι εὐδοκιμώτερον, ὧδ᾽ ἂν μάλιστα ἀπὸ τούτων ἄρχοιτο, εἰ διατροχάζοντος μέν, ὁπότε ἀναβαίνοι τῷ δεξιῷ*[2]), *τότε σημαίνοι τῷ ἵππῳ τὸ ἐπιρ-*

1) 'Dextri', quod Kohlmannus ex Puteani lectione 'dextris' restituendum putavit, probarem collato v. 444, nisi 'gyro' sequeretur: praefero igitur 'dextro', quod nonnulli codices exhibent (ut v. 215: sinistro orbe).

2) Godofredus Hermannus hunc locum vitio laborare ratus in Commentatione de verbis, quibus Graeci incessum equorum indicant (op. I p. 70) cum, quod prius scripsit: „*εἰ διατροχάζοντος μέν, ὁπότε ἀναβαίνοι, τῷ ἀριστερῷ*“, id probari non posse intellexisset, proposuit p. 72 adn. 4

ῥαβδοφορεῖν. — § 13 — *ἱππασίαν δὲ ἐπαινοῦμεν τὴν πέδην καλουμένην· ἐπ' ἀμφοτέρας γὰρ τὰς γνάθους στρέφεσθαι ἐθίζει. καὶ τὸ μεταβάλλεσθαι δὲ τὴν ἱππασίαν ἀγαθόν, ἵνα ἀμφότεροι αἱ γνάθοι καθ' ἑκάτερον τῆς ἱππασίας ἰσάζωνται.*

Idem mos, qui veteribus erat, nunc quoque equitantibus videtur esse nomadibus: quos quidem ego viderim per nostras quoque regiones, ut spectarentur, migrantes, velut Beduinas pulcherrimis equis exornatos et equitandi perpetuo usu praeditos et Indianos nuperrime apud nostram urbem et turmatim et singillatim per campum ruentes, eos semper laevo solo orbe decurrentes observavi. Quid quod in nostris quoque amphitheatris equi sine equite incedentes laevo semper fere gyro aguntur? In certaminibus autem nostris modo laevo modo dextro, quin etiam in venationibus ('Jagdrennen') mutato saepe gyro curritur: quod facile ideo fit, quia nostra curricula ita comparata sunt, ut artae flexiones evitentur (p. 11).


In exercitationibus autem dextro lateri magis consulimus, non quia, ut Hermannus (l. l. p. 68) opinatur, 'dextri gyri frequentior et magis necessarius usus erat in dimicationibus, quae hasta et gladio committebantur' — nam contra in bellico usu quasdam decursiones ad laevam facere malunt quam ad dextram — sed quia nos, quippe qui equum bisinistrum habere velimus, dextrum latus a natura neglectum exercitatione et arte sinistro aequare

„*εἰ διατροχάζοντος μέν, οπότε ἀποβαίνοι τῶν δεξιῶν*“. Quamquam artis equestris peritos non inventuros esse speravit, quod verius aptiusque dictum esse vellent, tamen Xenophontis verba rectissime se habere mihi quidem persuasum est. Verba enim *ὁπότε ἀναβαίνοι τῷ δεξιῷ* coniungenda sunt et sic vertenda: 'cum dextrum anteriorem pedem sublaturus est'. Nam praesens *ἀναβαίνοι* initium actionis significat. Id autem punctum temporis ideo aptissimum est, quo sinistra quadrupedatim equus incipiat, quod eo posteriores pedes tolutim euntis ita posita sunt, ut sinistra quadrupedantis, anteriorum autem pedum sinister, qui tunc terra nititur, eo maiore vi a terra repulsus anteriorem corporis partem in altum levare potest et dextrum anteriorem pedem superare. Admiratione dignus est vetus scriptor, qui quod nos imaginibus demum luce repente pictis (Muybridges' Augenblicksphotographien) didicimus, id suis ipsius oculis meditatione et experientia adhibitis observaverit.

debemus.[1] Manifestum est ut hominem bidextrum ad quamlibet rem habiliorem, sic equum hoc modo exercitatum et excultum in apertis campis certe multo utiliorem esse quam laevum idcirco quoque, quia equus altero latere fatigatus mutata pedum glomeratione altero recentibus viribus potest pergere.


Diximus supra (p. 37) ex quadrupedo equorum gradu in monumentis depicto nihil de gyri regione posse concludi. Immo etiam imagines aliqua ex parte contra ea pugnant, quae hactenus de laevo gyro et quadrupedo gradu huic gyro necessario disputavimus. Videmus enim multos equos in certaminibus non, ut debent, sinistra, verum dextra quadrupedatim euntes. Haec res, quae nondum, quod miror, observata sit, pluribus persequi eo magis operae pretium est, quod certam artificum illorum legem investigaturi sumus. Priusquam autem ad rem ipsam accedamus, talium rerum imperitos quadrupedi gradus ratione imbuam oportet. Quod paucis lineamentis fieri potest.

Equi



1) Cfr. 'Das Pferd', commentarios rerum equestrium, Dresdae in offic. Friesii et de Puttkammeri, V. 1889 p. 311.

Tab. I.



Equus sinistra quadrupedans.

(Mon. d. J. vol. II. Tab. XXXI.)

Delineavi hic vestigia duorum equorum sinistra alterius, alterius dextra quadrupedantis. Longe saepissime equi eo tempore sunt picti, quo posterioribus pedibus nisi anteriores in altum tollant, quia sic pulcherrimam speciem praebent (v. tab. I). Quos autem lineolis inter se coniunxi, eos pedes eodem fere tempore in altum tolli indicare volui. Equus enim quadrupedi incedens alio tenore pedes tollit atque gradatim aut tolutim aut eo, quem nos 'Pass' appellamus, gradu. Quod vero hoc loco maxime nostra interest, vides equum sinistra quadrupedantem sinistros pedes, et anteriorem et posteriorem, ante dextros, et anteriorem et posteriorem, ponere, equum autem dextra quadrupedantem eosdem dextros pedes ante eosdem sinistros. Hoc signo facile semper cognosces, qua quisque equus quadrupedatim ingrediatur. Potest etiam equus utrumque gradum ita inter se miscere, ut exempli gratia anterioribus pedibus sinistra quadrupedet, posterioribus decussatim dextra: eadem etiam contra valent. Hunc gradum nos 'Kreuzgalopp' vocamus. Habes huius quoque in imaginibus exempla[1]), quamquam ab equitibus maximopere repudiatur atque ita ingredi inexercitati et equi et equitis est, quia eques non molliter ut in cunis movetur, sed dure percutitur equoque magis laborandum ac, ne ungulas collidat, verendum sit. Haec igitur exempla pro multitudine rarissima sunt: saepissime equi, ut debent, recte incedunt. Cum vero ex eis, quae supra disseruimus, exspectandum sit equos decertantes omnes semper ita pictos esse, ut sinistra quadrupedent, nonnullae imagines hanc

1) Gerhard Auserl. gr. V. tab. LXXXV equus ad sinistram equite vacuus. XCIII duo equi et cervus. CLXIV. CXC. CCLXVIII equus in clipeo pictus. CCCXXII, 2 equus dexter. CCCXXX, 2 Hippolytes equus. Gerhard Abbildg. zu d. ges. ak. Abhdlg. Berl. 1868. tab. III duo equi. Inghirami Vasi fittili II. tab. CXIV Pegasus in clipeo pictus. Lenormant et de Witte El. cér. II. tab. CIX B dexter quadrigae equus. Mon. d. Inst. vol. VIII. tab. XLIV. vol. VIIII. tab. LX, 2 dexter equus. vol. X. tab. XIII B. XIV. L. Müller Denkmäler 594. Mus. Greg. vol. II. tab. XXXVII, 1a et L, 1a equi consideranti primi. Videbis etiam in Parthenonis hyperthyro nonnulla exempla. Horum omnium exemplorum partem non de industria, sed per neglegentiam ita ab artifice pictam reor.

exspectationem frustrant. In his enim ei soli sinistra quadrupedant, qui a sinistra ad dextram currentes picti sunt: qui autem a dextra ad sinistram, ei omnes dextra. Atque si non eas modo imagines, quae ad certamina spectant, sed in universum equorum quadrupedo cursu incedentium perlustraveris, iam intelleges hanc sibi legem pictores constituisse, ut paucis exceptis [1]) equos semper ita pingerent. Id ibi maxime conspicuum est, ubi equi per integrum circum decurrentes picti sunt. Ibi enim, qui a sinistra ad dextram currunt, recte sinistra quadrupedant, qui autem a dextra ad sinistram, perperam dextra.[2]) Non meum est omnia huius rei exempla huc congerere. Pervolve opera, in quibus vasorum imagines caelaturae nummi gemmae adumbrata sunt: ubique illa lex tibi occurret. Qui oculos suos hoc animadvertere assuefecerit, eum nusquam fugiet. Equidem hic sola certamina depicta curo. In his longe saepius equos a laeva ad dextram currentes videmus quam contraria regione, quoniam videlicet artifices sic eos pingentes non fecerunt periculum, ne aut naturam aut artem violarent.[3]) Namque a dextra ad laevam currentes cum eos pingebant, semper naturae, ut diximus, ita repugnabant, ut non sinistra, sed dextra quadrupedantes facerent.[4]) Quibus ex rebus satis apparere existimo illam legem, quae non ad equos

1) Velut Mon. d. Inst. vol. II. tab. XIII. vol. IV. tab. V equus quadrigae consideranti primus. tab. XLVI. vol. X. tab. XXVIII supra dexter equus. Müller Denkm. 118. 119 in hyperthyro Parthenonis quidam.

2) Mus. Pio-Clem. V. tab. XXX. Delaborde Pavimento tab. XV, 1. Müller Denkm. 429. Millin Galerie mythologique 670.

3) Gerhard Auserl. gr. V. tab. CCLII supra. CCLIII supra. CCLXVII supra. CXI. CXXV. CXXXI. Inghirami Vasi fitt. XC. CCII (= Mon. d. Inst. vol. I. tab. XXI, 9b. Krause Gymn. u. Agon. fig. 74. Lehndorff fig. VI). CCXVI. CCLXXVI. CCXCIV. CCCVII. Mus. Greg. vol. II. tab. XXII, 1a. XXXIV, 3a. Mon. d. Inst. vol. I. tab. XXII, 2b. vol. V. tab. XII. XXV. vol. XI. tab. XLI. Benndorf Gr. u. sic. Vasenb. LIII, 3. Krause Gymn. u. Agon. fig. 73. 75. 78.

4) Inghirami Vasi fitt. CCXXIV. Mus. P. Cl. V. tab. XLII. Mon. d. Inst. vol. II. tab. XXXII. vol. V. tab. XXXIII. vol. X. tab. IIII. V. (= Engelmann Bilderatlas z. Homer I 98). Krause Gymn. u. Agon. fig. 70. 71. 72. 76. 77. 79. Bull. de corr. hell. ann. VII. tab. XVII.

modo, sed ad universa quadrupedantia valet[1]), non temere ac fortuito, verum ex certa quadam artis ratione ortam in artificum scholis a magistris discipulis traditam esse. Scimus in aliis quoque rebus naturam ab artificibus Graecis arti posthabitam esse, velut in cassidibus pingendis: cum enim antiquissimi artifices viros pugnantes sic pinxissent, ut os casside coopertum lateret[2]), posteriores contra belli usum arti indulgentes ore aperto eos fingebant.

Quaerendum nunc est, quaenam ratio illius legis fuerit. Eadem mihi videtur esse, qua adducti histriones in scaena, cum alterum latus ad spectatores convertunt, huius lateris membra quam minime ante se movere debent.[3]) Cuius rei video duplicem causam: alteram, ne aliis alias corporis partes obtegant — quod moleste ferunt spectatores, quorum integrum histrionis corpus, os potissimum spectare semper et observare multum interest —, alteram, ne scaenographiae, quae dicitur, repugnent. Scaenographi enim cum quo quidque est remotius, eo magis medium versus producant, ne ab anteriore parte praetegatur, hanc artem histriones, qui pars sint scaenicae imaginis, ita iuvare debent, ut ipsi quoque remotiores corporis partes porrigant, spectatoribus propinquiores retineant: sic imago efficitur, quae omnibus ex partibus concors et congruens

---

1) Centauri Inghir. V. fitt. XXIII. LXXIX. XCI. XCII. XCIII (excepto dextro in inferiore imaginis parte. Qui in superiore parte appictus est, decussatim quadrupedat). CXV. CXVI. CXIX. CLXXII (excepto primo). Gerh. Auserl. gr. V. CXIX. CXX. Müller Denkm. 176. Muli Inghir. CCLXV. Len. et de Witte vol. I. tab. XLIII. XLVI, A. Tauri Inghir. XXIV. CCCLXIII. Len. et de W. vol. I. tab. XXVIII. vol. III. tab. LXIX. XCVIII. Cervi Inghir. CCIII (in clipeo pictus). Gerhard CCCXXVII, 1. Len. et d. W. vol. II. tab. XLIII. CIII B. vol. IV. tab. LIII. Mus. Greg. vol. II. tab. XII, 2b. Arietes Inghir. XXVI. CLII. Canes Inghi. LII. Gerh. CCLII. Len. et d. W. vol. II. tab. XCVIII. C. CII. CIII B. CXII. Mus. Greg. vol. II. tab. LVII, 2a. Apri Gerh. CCCXXVII, 2. Mus. Greg. vol. II. tab. XVIII, 1a. Pardales Inghir. XLVIII. CLXV. Len. et d. W. vol. II. tab. CIII B. Lepores Inghir. CLXV. Len. et d. W. vol. I. tab. C.

2) Inghir. IV—VI. CCLVII.

3) Cfr. Goethii praecepta histrionalia § 57—62.

venustate et elegantia spectatorum animos maximopere delectet. Similia in quadrupedantium imagines valent. Harum enim pictores bigas, usitatissimos antiquitus currus, primo pingentes id potissimum debebant spectare, ne octo equorum pedes nimis inter se miscerentur, sed perspicue distinguerentur. Praeterea autem cum remotiorem ab oculis spectantis equum, ut omnino videri posset, paullum praeter alterum producerent, eius quoque artis rationem habere debebant, qua efficitur, ut quaedam eminere in opere, quaedam recessisse credamus. Utrumque optime assequebantur, si illa lege utebantur.

Quod porro in bigis pingendis antiquitus facere soliti erant, id etiam ad equites pingendos transferebant. In eis enim hoc quoque illa lege efficiebant, ut equites non alterum solum latus ostenderent, sed pectus quoque, quia quadrupedante equo obliquatione quadam sic gestantur, ut alter umerus altero sit proiectior: cum enim dextra equus quadrupedat, dexter equitis umerus necessario prominet, eademque contra valent.[1])

Summi vero momenti illam legem fuisse ad quadrigas pingendas in propatulo est. In his enim difficultas dilucide pingendi duplicata erat. Quam quemadmodum pictores superarint, persequi operae pretium est. Tres modi possunt inter se distingui. Antiquissimus videtur is esse, quo duo equi consideranti remotiores capita altius retinent, duo propiores longius porrigunt, ut duae fiant biniones.[2]) Hic modus ita variatur, quamquam rarissime, ut aut propiores equi capita altius tollant (Gerhard Auserl. gr. V. XCV) aut duo medii (Inghirami V. f. tab. CCXIX. CCXX. Len. et de Witte El. cér. vol. II.

---

1) Inghir. III. XIV. XLVIII. LVII. CXXIX. CLXV. CLXXXVII. CCII. CCXXVI. CCLXV. Gerh. ib. CCCXXI.

2) Inghir. IV. V, ubi uti in antiquissimis picturis hoc minus significatum est. LXXV. XC. CCXI. CCXIII. CCC. CCCI. CCCV. CCCVII. CCCIX. CCCXLVI. Gerhard V. XL. LIV capri. LXI. LXII. XCIV. CXII. CXX. CXXIII. CCLIV, 1. CCLXIII, 2. CCCXIV, 1. CCLXVII. CCCX. CCCXI. CCCXII, 1. Len. et d. W. vol. I. tab. I. vol. III. tab. XLI. C. Mon. d. Inst. vol. V. tab. XX (= Engelmann Bilderatlas pars I. fig. IX). Mus. Greg. vol. II. tab. X, 4 a. XII, 1 b. XIII. XXII. XXVIII, 1 a. XXXIV, 3 a. XXXVIII. XLIX. LII, 1 a. LIV.

tab. L, A). Alter modus, et hic multo usitatior, is est, quo equorum sic ut illo primo modo pictorum secundus caput maxime demittit vel porrigit.[1]) Huius modi variatio est secundum equum caput non demittere, sed reducere (Gerh. ib. CXCIV. Mon. d. Inst. vol. III. tab. XLVI, 4). Tertius denique modus, quem propter perfectionem et propterea, quod in antiquissimis imaginibus non reperitur, novissimum puto, is est, ut equorum praecipue quadrupedo currentium quo quis remotior videtur, eo magis procurrat in speciem obliqua fronte incedentium. In his medii equi saepissime capita inter se admovent, quae exempla asterisco apposito notabo.[2]) Hoc modo adhibito, quamvis sit elegans et artificiosus, tamen hoc quoque ducti aliquotiens a rerum natura pictores discedebant. Nam cum aurigae re vera metam circuituri interiorem equum retinerent, exteriorem, ut ampliorem orbem eodem tempore percurreret, stimularent (Il. Ψ 336—40. Nonn. Dion. XXXVII 216—20 + 207—8), artifices hoc novissimo pingendi modo usi exteriorem metam (in imaginibus dextram) ambituros contrarium facientes pingebant.[3])

Ceterum vasorum pictores perspicuitatem imaginum eo quoque augebant, quod variis equos coloribus pingebant, unum saepicule albo.[4])

---

1) Luculentissima exempla asterisco notavi: Inghir. VI, 1 et 2. X, ubi os et collum tertii equi perverse picta sunt. LXIV. LXXXV. CCVI. CCVIII. CCX. CCXVI. CCXVII. CCXXII. Len. ib. vol. II. tab. XLI*. L. CIX, A. Gerh. ib. XVII. XXI. LII. LIII. LXXVI*. LXXIX. XCII. CVII. CCX*. Mus. Greg. vol. II. tab. XVI, 1 b. XVII, 1 a*. XX, 3 a*. XXIII, 2 a. LI. LII, 2 b.

2) Inghir. XLVII. LII. XCV. XCVI. CCXIX. CCXX. CCXXIII. CCXXIV. CCXXV, ubi medii capita distinent. Gerh. Aus. gr. V. XVI*. XX*. XCI*. CCXL. CCLXV, 4*. CCCXIII, 1*. CCCXXV, 1*. id. Abbildg. z. d. ak. Abh. tab. IV. VII. Len. et d. W. vol. I. tab. XI*. XCVII*. vol. II. tab. CIX. CX. CXI. CXII, A. CXIII. vol. III. tab. XV*. Mus. Greg. vol. I. tab. CIII*. CXXIII. vol. II. tab. XII, 2 a*. XXXVII, 1 a*. XLVI, 1 a*. XLVII*. L*. LV*. Bull. d. corr. hell. ann. VII. tab. XVII.

3) Inghir. CCLXXVI. CCXCIV, ubi meta non apposita est. Mon. d. Inst. vol. X. tab. XLVIII, h 3. Delaborde Pavim. tab. XV, 1.

4) Gerh. Aus. gr. V. CCCXI. CCCXIII, 2. CXCIX. Mon. d. Inst. vol. X. tab. IIII A duo albi, V tres albi, unus varius. Idem in aliis animalibus pingendis faciebant, velut in bubus Gerh. CV. CLXX.

Ab hoc loco non alienum esse censeo etiam ad imagines equorum adversa fronte pictorum oculos adicere. Id, quia equus a fronte pictus minus venustam speciem praebet, rarissime, sed, si faciebant, ita semper faciebant, ut equi ora declinarent, quadrigae medii introrsum, ceteri extrorsum.[1]) Unam equidem novi exceptiunculam apud Gerh. ib. CCCXXI, quae quam illorum temporum pictor caput equinum a fronte depingere non fuerit exercitatus, affatim ostendit. Falsum igitur imago a Gerhardo ib. LXII exhibita supplementum passa est, quod medii quadrigae equi recta fronte prospiciunt. —

Hoc loco quoniam ad quasdam veteris picturae proprietates veni, quin a quadrupedibus ad homines paulisper me convertam, facere non possum, quia stadiodromis pictis ab artificibus simillimum accidisse video. Est enim hominibus id certe cum quadrupedibus commune, ut membra eodem atque illa ordine moveant, nisi quod manus non in terram reponunt. Hoc vero si etiam additur, quadrupedum noster incessus simillimus est. Ut igitur quadrupes tolutili gradu incedens pedes decussatim promovet, sic nos quoque currentes crura et brachia, haec quidem per aerem, decussatim movemus: una cum dextro pede sinistrum brachium proicimus, cum laevo dextrum. Ab hoc ordine si ita discedas, ut eiusdem lateris utrumque membrum simul proicias, talis incessus ei similis sit, quem in quadrupedibus 'Pass' vocamus. Hoc autem ut quadrupedes exceptis camelis nequaquam indole, sed condocefacti modo ingrediuntur, ita nos quoque non sine magna totius corporis iactatione ac contortione membra hunc in modum movemus. Nec puto quemquam, cuius commode velociter currere interest, membra ita eicere, nisi forte insanit. Quodsi stadiodromi magna ex parte eo modo currentes picti sunt[2]),

1) Gerh. CCXLVIII, 3 eques. CVI. Inghir. CCXIV. Len. et de W. vol. II. tab. CXIV equos quadrigae fecit pictor dissilientes, quod a fronte eos pingere perhorrescebat. CXV. CXVII. Mus. Greg. vol. II. tab. XVI, 2b. XL. LXX, 4a.

2) Gerh. CLXXX. CLXXXI. CCLIX. CCLVII, 4. CCLXI. Mon. d. Inst. vol. I. tab. XXII. vol. III. tab. VIb. vol. X. tab. XLVIII f. z. m.

quonam hoc referemus nisi ad eandem artis legem, quam supra in equis pictis percognovimus? Quod autem in equis ferri potest, quia hi falso latere quadrupedantes tamen recto ordine membra glomerant, id in hominibus eo magis offendit, quia hi membra plane perverse movent et quia homini hominis loco sese animo ponere multo proclivius est quam loco quadrupedis.

Quae res quamvis leviculae possint primo obtutu videri, hoc certe, quod gravius est, ex eis efficitur, ut in id genus simulacris ars naturam vicerit.

Mus. Greg. vol. II. tab. LXVIII. LXIX. LXX. XXX, 2b. XXXV, 1a, ubi ex parte recte currunt.

III.

DE HIPPODROMO OLYMPIACO.

De hippodromo Olympiaco quae Godofredus Hermannus[1]) speravit fore ut olim 'repetita quae de Hercule et Augia narratur fabula limo et arena liberaretur', cum ea usque adhuc spes manserint ac ne spes in aeternum maneant verendum sit, iterum iterumque revocamur ad Pausaniae descriptionem (VI 20, 10 sqq.). In qua explicanda viros antiquarum rerum studiosos quamquam per duo fere semis saecula inde a Salmasii[2]) primo conamine usque ad Georgii Lehndorffii[3]) novissimum nonnihil profecisse nemo ibit infitias, tamen nequaquam ad finem pervenisse rem diligenter ponderanti apparebit.[4]) Illi enim interpretes ita potissimum peccaverunt, ut Periegetae verbis perperam intellectis et suppletis explanationem usui plus minusve repugnantem proferrent. Quae vitia ut evitemus, id potissimum spectandum est, ut quae Pausanias in descriptione sua omiserit, recte expleamus. Omisit autem permulta, quae nobis ad perfectam hippodromi imaginem pingendam necessa-

1) De hippodromo Olympiaco. Lipsiae MDCCCXXXIX. p. 9 (Op. VII. p. 395).

2) Plinianarum exercitationum in Solini Polyhistora p. 915. Paris. a. MDCXXIX.

3) Hippodromos. Einiges über Pferde und Rennen im griech. Alterthum. Berlin 1876.

4) Leopoldus Julius in Baumeisteri Monumentis 1885 s. v. Hippodromus: 'Neuerdings hat Koner auf Grundlage der Untersuchungen des Grafen Lehndorff eine bedeutend abweichende Reconstruction des Hippodroms zu Olympia versucht, welche trotz manchem Ansprechendem zum Teil begründeten Zweifeln unterliegt.'

ria videntur esse: nihil de forma, nihil de spina, nihil de creta, nihil de sede magistrorum certaminis, denique, ut aliquam rem accurate describat, nihil fere de eius fine. Sed quis hoc illi crimini det, qui non nostrae, sed suae aetati talium rerum peritissimae scripserit? Praetermissis igitur rebus aequalibus notis ac paene cotidiano usu tritis eas solas pluribus persecutus est, quae ab institutis suae aetatis valde differebant: hae sunt in hippodromo Olympiaco carceres et Taraxippus. Unde hanc legem interpretandi iure nobis constituere videmur, ut quae describere supersederit, ea fere similia fuisse sumamus institutis circorum Romanorum. Iam ego cum eum omnia, quae in hac re depinxerit, si non plene, at tamen recte depinxisse persuasum habeam neque stem ab eius obtrectatoribus, verba eius quam rectissime et interpretando et supplendo rem intricatam expedire periclitabor. Ac primum quidem dicam de re controversiis maxime obnoxia, de carceribus. Ne vero flumen explicationis meae retardetur vel turbetur, prius meam sententiam proferam cum Wachsmuthii congruentem ceterorum infra refutaturus.

A.

DE CARCERIBUS.

Priusquam ad ipsos carceres describendos accedam, paucis lineamentis, quae quidem ad intellectum necessaria putem, totius hippodromi formam delineabo. De hac quid ipse sentiret, mecum Curtius Wachsmuthius communicavit; scripsit vero haec:

'Dolendum sane est ne nunc quidem totam illam regionem, in qua hippodromus iacuit, effossam esse itaque nos firmo, quo niti possimus, fundamento plane carere. Probabilem vero illius speciem ut recuperemus, videtur mihi proficiscendum esse ab eo, quo aequabilitas ceteroquin in stadiis similibusque operibus Graecis conspicua corrumpitur, quod tamen certo Pausaniae testimonio constat dicentis VI 20, 15: *παρεχομένου τοῦ ἱπποδρόμου παρήκουσαν ἐς πλέον τὴν ἑτέραν τῶν πλευρῶν ἔστιν ἐπὶ τῆς μείζονος πλευρᾶς κτλ.* Id ipsum autem vix poterit explicari, nisi haec duo statuamus. 1) Sola in dextra parte oppidum (*ἄφεσις τῶν ἵππων*) extructum est idque oblique ad exteriorem metam spectans ita, ut dextro margine per campum introitus curribus patuerit. 2) In eadem parte citra oppidum iacuit Agnapti porticus, cuius mentio non fit nisi coniuncta cum oppido. Quo accepto recte efficitur, ut dextrum latus sinistro magis contrahatur. Utrumque vero quod posuimus duabus praeterea rationibus comprobatur. Primum locus ille, qui ad dextram porticus alam pertinuit, ut spectatoribus inutilis fuit, ita maxime idoneus, utpote aequus et planus, extruendis illis altaribus, quae Pausanias V 15, 5 commemorat (*ἰόντι ἐπὶ τὴν ἄφεσιν τῶν ἵππων ἔστι βωμὸς κτλ.*). Deinde

in sinistra areae parte sat amplum extenditur spatium, in quo post finita certamina currus libere evagari potuerint: atque id tam necessario requiritur, ut in illa parte ne altaria quidem fuisse facile crediderim, nedum oppidum. Denique huic opinioni neque cetera Pausaniae verba obstant neque — quantum nunc iudicare possumus — ipsius loci natura.'

Haec praeceptoris venerandissimi sententia tanto magis mihi arridet ea, quam ipse de re mihi finxeram[1]), ut non possim facere, quin omni ex parte eam probem. Ac nunc quidem meum est pluribus eam exponere.

De forma hippodromi quae verba Pausanias fecit (15): „*παρεχομένου δὲ τοῦ ἱπποδρόμου παρήκουσαν ἐς πλέον τὴν ἑτέραν τῶν πλευρῶν, ἔστιν ἐπὶ τῆς μείζονος πλευρᾶς, οὔσης χώματος* .... *ὁ Ταράξιππος.* — (21, 1) *τὸ δὲ ἕτερον τοῦ ἱπποδρόμου μέρος οὐ χῶμα γῆς ἐστιν, ὄρος δὲ οὐχ ὑψηλόν*“, ea ab omnibus adhuc interpretibus praeter Bursianum Geogr. Gr. II. p. 298 sq. ita intellecta sunt, ut dextrum latus aggerem, sinistrum collem fuisse vellent et hoc contraherent, illud producerent. Id suo magis arbitratu fecerunt quam merito. Ex quo sumptibus imperii Germanici de stadii situ certiores facti sumus, contrarium valere mihi persuasum est. Neque enim declivis Saturni collis, quam ab integro sinistro h. e. septemtrionali stadii aggere occupatum fuisse scimus, potest esse illud *ὄρος οὐχ ὑψηλόν*, praeterquam quod mirum esset, nisi Pausanias eum nomine appellasset ut 20, 1. Ergo de alio colliculo cogitandum est. Ac quoniam hippodromum inter stadium et flumen Alpheum parallelis stadio lateribus positum fuisse simillimum est veri (cfr. Boetticheri tab. regionis Olympicae), ex eadem planitie illum quoque colliculum prominuisse arbitror ita quidem, ut pro dextro h. e. meridionali hippodromi latere esset. Quem, ut erat humilis, post tot saecula partim rabie Alphei ripas longe inundantis corrosum et ablatum partim eiusdem alluvie aequatum aut terrae motibus collapsum

1) Spina e Romanorum quorundam circorum usu ad sinistram obliquata oppidum recta regione porticui per totam latitudinem extensae mediae ita imposueram, ut ubi nunc est litera S, ibi litera F esset (v. tab. II).

esse non est, quod mireris. Talia enim regionem illam passam esse notissimum est. Fortasse stadio hippodromus tam vicinus erat, ut idem agger, quoad quidem stadii latus pertineret, et stadii certamina a meridionali latere spectantibus et hippodromi a septemtrionali sedes praeberet, cui sententiae certe auctoris verba optime conveniunt (10): „*ὑπερβαλόντι δὲ ἐκ τοῦ σταδίου, καθότι οἱ Ἑλλανοδίκαι*[1]) *καθέζονται, κατὰ τοῦτο χωρίον ἐς τῶν ἵππων ἀνειμένον τοὺς δρόμους καὶ ἡ ἄφεσίς ἐστι τῶν ἵππων.*“ Fortasse dico: nam certiora de hac re non ante comperiemus, quam fossoris pala etiam ultra stadium limum tentaverit.

Duae erant in arena hippodromi metae: nam cum Pausanias de una tantum dicat (20, 19: *ἐπὶ δὲ νύσσης μιᾶς κτλ.*, quam interiorem M_1 fuisse omnes consentiunt), ex ipso hoc nomine numerali *μιᾶς* alteram quoque M_2 adfuisse conicere debemus. Inter quas metas utrum spina, ut in circis Romanis, exstructa fuerit necne, silente auctore res est iterum iterumque disputata: equidem pro certo habeo eas vel aggere vel potius muro levi inter se coniunctas fuisse, ne equi ferocientes regimine excusso per transversam arenam aliis obviam rui neve ei, qui in sinistro cornu certabant, a dextra ad laevam extrudi possent. Lehndorffii sententiam columnas funibus inter se coniunctas pro spina ponentis (p. 36) idcirco non probo, quia tunc modioli curruum ne columnis illiderentur, periculum erat: tales autem illisiones non nisi ad metas factas esse comperimus. Quamquam spinam, sive agger sive murus fuit, columnis impositis, ut in circis Romanis, ornatam esse potuisse non nego: hoc demum vasorum quorundam imagines videntur indicare.

---

1) Hi in hippodromo fortasse in ipsa meta interiore vel prope eam in spina sedentes oculos ad columnam (vel cretam) margini sinistrae contra appositam ('Siegespfosten') derigebant. Nam iudices certaminis, si in sinistro margine Y sedem habebant, per nimium spatium YM_1 spectare debebant, quam ut subtile iudicium facere possent, quia agonistae decertantes procul a sinistro margine praeter spinam et metam brevissima via currebant.

His praemissis lineamentis venio ad ipsos carceres eorumque usum describendos (v. tab. II). Habebat oppidum O a Cleoeta conditum formam prorae, cuius rostrum R in arenam spectabat, basis SD ad porticum Agnapti P adiacebat (20, 10: *παρέχεται μὲν οὖν σχῆμα ἡ ἄφεσις κατὰ πρῷραν νεώς, τέτραπται δὲ αὐτῆς τὸ ἔμβολον ἐς τὸν δρόμον. καθότι δὲ τῇ Ἀγνάπτου στοᾷ προσεχής ἐστιν ἡ πρῷρα, κατὰ τοῦτο εὐρεῖα γίνεται.*[1]) Haec basis cunei quantum obtinuerit, Periegeta non dicit, ut quantum cuiusque sententiae optime conveniat, tantum sumat, nec puto omnino dicere eum debuisse, quia cuilibet libere ac simpliciter rem consideranti carceres ei tantum parti arenae obiacuisse apparet, in quam equi mittebantur h. e. dextrae. Ac ne porticum quidem totam arenam retro occlusisse existimo, verum ut oppidum dextram tantum partem. Itaque sinistra arena satis longa erat, ut equi citatissimo cursu calcem assecuti non repente deberent consistere, id quod omnino nequeunt, sed commode celeritatem pedetemptim comminuere possent. Videmusne ut in nostris certaminibus equi creta ('Siegespfosten') superata decimam saepe vel octavam totius curriculi partem percurrant, antequam ab equitibus sustineri queant? Si hoc equitibus accidit, quippe qui et frenis et femoribus equorum vim coerceant, quanto amplius spatium aurigis ad quattuor equorum rapidum cursum et currus subsequentis vim solis frenis inhibendam opus fuisse putabimus? Non igitur mihi possum persuadere Cleoetam artificio suo tantopere usui obfuisse, ut sinistram arenam sinistra aut oppidi aut porticus ala contraheret.

Oppidum vero non recta regione in dextram arenam a porticu prominuisse credo, sed obliqua ita, ut rostrum ad ex-

1) Non assentior Godofredo Hermanno pro *γίνεται* perfectum *γεγένηται* postulanti (p. 6). Nam ut omittam Pausaniae genus dicendi non ad eandem normam derigendum esse atque Demosthenium vel Isocratium, praesens *γίνεται* significat non subito prope porticum, sed inde a rostro paullatim paribus utrimque intervallis alas prorae ad porticum versus inter se discedere, quasi dictum sit: 'dum prora ad porticum Agnapti appropinquat, latior fit'.

teriorem metam spectaret. Quapropter non utraque oppidi ala, quas pari longitudine fuisse Pausanias testatur (11: *ἑκατέρα μὲν δὴ πλευρὰ τῆς ἀφέσεως πλέον ἢ τετρακοσίους πόδας παρέχεται τοῦ μήκους*), sed sola sinistra porticum attingere poterat: dextrae finis paulo proiectior ibi erat, ubi circulus radio M_2S circum M_2 descriptus dextrum totius hippodromi marginem secat, ut spatia M_2S et M_2D inter se paria essent. Ibidem finis erat dextri hippodromi lateris, quod amplius pertinere non opus erat, quo fit, ut re vera collinum latus aggere brevius sit. Per spatium, quod inter collinum latus et porticum hiabat, introibatur in oppidum, ibique complures arae positae erant, quas Pausanias V 15, 5 enumerat.

Rostrum admodum amplum erat, cum quattuor aris spatium praeberet, ex quibus una, Nympharum Acmenarum, in postica eius parte exstructa fuit (V 15, 6: *ἐς δὲ αὐτὸν τὸν ἔμβολον ἐσελθόντων Τύχης ἐστὶν ἀγαθῆς βωμὸς καὶ Πανός τε καὶ Ἀφροδίτης, ἐνδοτάτω δὲ τοῦ ἐμβόλου Νυμφῶν, ἃς Ἀκμηνὰς καλοῦσιν*). Alae prorae, quas non derectas, sed extrorsum curvatas fuisse existimo, quia aliter non semper proram navis (10: *παρέχεται μὲν οὖν σχῆμα ἡ ἄφεσις κατὰ πρῷραν νεώς*), sed triangulum potius Pausanias eam appellasset, carceres ad recipiendas quadrigas satis amplos habebant (11: *ᾠκοδόμηται δὲ ἐν αὐταῖς [ταῖς πλευραῖς τῆς ἀφέσεως] οἰκήματα*). Quorum carcerum utrimque retrorsum ab embolo unus semper altero plus recedebat crescentibus propter curvaturam paullatim intervallis, ut exitus carcerum prope ad porticum sitorum longius inter se distarent quam prope rostrum. Vergebant universi ad exteriorem metam, quamquam parietum introrsus inclinationem propter magnitudinem distantiae (inter M_1 et F) vix animadverteres. Ante certamen, quam quisque certantium stationem sortitus erat, in ea consistebat (11: *ταῦτα κλήρῳ τὰ οἰκήματα διαλαγχάνουσιν οἱ ἐσιόντες ἐς τὸν ἀγῶνα τῶν ἵππων*). Prorae tria latera spatium apertum complectebantur, ubi diversae arae exstructae erant (V 15, 5: *ἐν δὲ τῶν ἵππων τῇ ἀφέσει, ἐν μὲν τῷ ὑπαίθρῳ τῆς ἀφέσεως κτλ.*).

Quaerendum nunc est, quidnam Cleoetas difficili

hac ac mira oppidi constructione effici voluerit. Qua in re cum a Periegeta nostro prorsus destituamur, nostrum est, ad quem finem pertinuerit, excogitare. Princeps autem uniuscuiusque oppidi finis is est, ut universis certantibus una eademque sit condicio. Hoc artificem illum omnibus ex partibus optime assecutum esse inde colligere debemus, quod ipse hoc invento maxime gloriabatur. Id luculenter testatur inscriptio statuae, quam Athenis ab eo sculptam Pausanias vidit.[1]) Cum enim alia quoque opera effecisse putandus sit, ex omnibus hoc oppidum elegit, quod in epigramma reciperet (14: *καὶ φρονῆσαί γε ἐπὶ τῷ εὑρήματι, ὡς καὶ ἐπίγραμμα ἐπὶ ἀνδριάντι τῷ Ἀθήνησιν ἐπιγράψαι·*

ὃς τὴν ἱππάφεσιν ἐν Ὀλυμπίᾳ εὕρατο πρῶτος,
τεῦξέ με Κλειοίτας υἱὸς Ἀριστοκλέους).

Aristidis vero quod post Cleoetam adhibuit artificium non ad totius oppidi institutionem, sed ad machinas solum corrigendas pertinuisse ex ipsis auctoris verbis elucet (14: *Κλεοίτα δέ φασιν ὕστερον Ἀριστείδην σοφίαν τινὰ καὶ αὐτὸν ἐς τὸ μηχάνημα ἐσενέγκασθαι*). Quae cum ita sint, arti et laudi Cleoetae is optime satisfaciet, qui inventum eius quam perfectissimum restituerit, utpote quod etiam duris iudicibus plane probetur. Quare si quis hanc rem suscipere tanti esse neget, quod ex verbis Pausaniae diversissimae restitutiones et elicitae sint et elici possint, is errore ducitur: habemus enim praeter descriptionem Pausaniae quasi obrussam, ad quam sententiam nostram exigere possimus, perfectionem: ergo quo qua restitutio Pausaniae verbis nisa perfectior est, eo propius ad Cleoetae primum inventum accedere, quo qua est imperfectior, eo longius a veritate discedere existimanda est. Iam cum oppido, ut supra diximus, id potissimum efficiendum est, ut universis certantibus eandem condicionem praebeat, nunc

---

1) I 24, 3: *Κράνος ἐστὶν ἐπικείμενος ἀνὴρ Κλεοίτου, καί οἱ τοὺς ὄνυχας ἀργυροῦς ἐνεποίησεν ὁ Κλεοίτας.* Hanc statuam eandem fuisse, quae illud epigramma ferebat, ex articulo *τῷ* apposito licet concludere. Ut permulti veterum artificum non uni tantum arti operam dabant, sic Cleoetam quoque videmus praeter architecturam etiam sculpturam exercere.

talis, qualem nos restituimus, oppidi constructio examinanda est, num illud recte efficiat.

Vidimus iam in Homerico hippodromo describendo ei, qui in dextro cornu stationem haberet, longiorem quam reliquis viam percurrendam fuisse. Quae iniquitas condicionum cum ibi, ubi pauci semel tantum totum curriculum permetiebantur, facile obliquatione eius, ex qua currere incipiebant, lineae exaequaretur (p. 15 sq.), Olympiae, ubi duodecim (cfr. C) plerumque circuitus magnae multitudini certantium peragendi erant, id genus aequatio fieri non potuit. Namque dexter agonista, cuius incommodum duodecies multiplicandum erat, eo procedere debuisset, ut linea illa nimis obliquaretur et distraheretur. Nec vero hoc omnino Cleoetas contendit, ut discrimen viarum duodecies per totum curriculum peragendarum compensaret, sed alio modo aequitatem condicionum assecutus est.

Notum est, quantum certantium interfuerit, ut brevissimo anfractu circum metas flecterent. Videmusne, ut apud Homerum Nestor etiam atque etiam hoc filio Antilocho suadeat? Il. Ψ 322—24:

ὃς δέ κε κέρδεα εἰδῇ ἐλαύνων ἥσσονας ἵππους,
αἰεὶ τέρμ' ὁρόων στρέφει ἐγγύθεν[1], *οὐδέ ἑ λήθει,*
ὅππως τὸ πρῶτον τανύσῃ βοέοισιν ἱμᾶσιν.

vv. 333—34:

καὶ νῦν τέρματ' ἔθηκε ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεύς.
τῷ σὺ μάλ' ἐγχρίμψας ἐλάαν σχεδὸν ἅρμα καὶ ἵππους.

vv. 338—40:

ἐν νύσσῃ δέ τοι ἵππος ἀριστερὸς ἐγχριμφθήτω,
ὥς ἄν τοι πλήμνη γε δοάσσεται ἄκρον ἱκέσθαι
κύκλου ποιητοῖο.

Hanc rem quamvis sit nota, tamen pluribus idcirco lubet persequi, quod eam gravissimam restitutores hippodromi ad suum commodum convertere adhuc neglexerunt quodque copia demum locorum nondum collectorum evincet non in Homerico

1) Cfr. schol. Ven. B.

solum, verum etiam in posterioribus hippodromis semper ubique rem ita se habuisse.

Soph. El. 720 sqq. de Oresta in Pythiis certante:

κεῖνος δ' ὑπ' αὐτὴν ἐσχάτην στήλην ἔχων
ἔχριμπτ' ἀεὶ σύριγγα.

Xenoph. conv. IV 6: *καὶ ναὶ μὰ Δί', ἔφη, ἔγωγε* [*οἶδα*], *ὅτι ἁρματηλατοῦντα δεῖ ἐγγὺς μὲν τῆς στήλης κάμψαι,* sequuntur Hom. Ψ 335—38.

Theocr. XXIV 117: Amphitryon Herculem docuit

ἵππους δ' ἐξελάσασθαι ὑφ' ἅρματι καὶ περὶ νύσσαν
ἀσφαλέως κάμπτοντα τροχῷ σύριγγα φυλάξαι.

Nonn. Dion. XXXVII 202 sqq., quibuscum conferas libri XLIII. vv. 270 sqq. ex variis huius loci versibus consarcinatos:

ὃ δέ κε τεχνήεντι δόλῳ μεμελημένος εἴη
ἡνίοχος πολύμητις, ἔχων καὶ ἐλάσσονας ἵππους
ἰθύνει προκέλευθον ὀπιπεύων ἐλατῆρα
ἐγγὺς ἀεὶ περὶ νύσσαν ἄγων δρόμον, ἅρμα δὲ κάμπτει
ἱππεύων περὶ τέρμα καὶ οὔποτε τέρμα χαράσσων.
σκέπτεό μοι καὶ σφίγγε κυβερνητῆρι χαλινῷ
δοχμώσας ὅλον ἵππον ἀριστερὸν ἐγγύθι νύσσης,
λοξὸς ἐπὶ πλευρῇσι παρακλιδὸν ἅρμα βαρύνων,
ἀγχιφανὴς ἄψαυστος ἀναγκαίῳ τινὶ μέτρῳ
σὸν δρόμον ἰθύνων πεφυλαγμένος, ἄχρι φανείη
πλήμνη ἑλισσομένου σέθεν ἅρματος οἷάπερ ἄκρου
τέρματος ἁπτομένη τροχοειδέϊ γείτονι κύκλῳ·
ἀλλὰ λίθον πεφύλαξο, μὴ ἄξονι νύσσαν ἀράξας
εἰν ἑνὶ δηλήσαιο καὶ ἅρματα καὶ σέθεν ἵππους.

Ovidius Amor. III 2, 79—82, quod cui aurigae puella iuxta eum in circo assidens favet, is amplo metam orbe circumvehitur, sic queritur:

Me miserum! metam spatioso circuit orbe.
Quid facis? admoto proxumus axe subit.
Quid facis, infelix? perdis bona vota puellae,
Tende precor valida lora sinistra manu.

Sil. It. XVI 362—64:

At docilis freni et melior parere Pelorus
Non unquam effusum sinuabat devius axem,
Sed laevo interior stringebat tramite metam.

Stat. Theb. VI 440 sqq.:

Speravit flexae circa compendia metae
Interius ductis Phoebeius augur habenis
Anticipasse viam; nec non et Thessalus heros
Spe propiore calet, dum non cohibente magistro
Spargitur in gyros dexterque exerrat Arion.

His locis satis superque demonstrasse mihi videor illius compendii viae certantes semper cupidissimos fuisse, id quod nequaquam simpliciter rem cogitanti consentaneum est, quia tantum, quantum brevissimum anfractum nullam aliam viam habuisse periculi totidem loci ostendunt et res ipsa clamat. Tamen emolumentum compendii tantum fuit, ut periculum qualecunque compensaret. Nam cum ei, qui primus e numero agonistarum excurrentium exteriorem metam assecutus erat, non id solum contingeret, ut artissimo circuitu metam radere posset, sed etiam ut hac meta superata secundum spinam brevissima via ad interiorem metam rediret eamque eodem atque illam modo ambiret, ita denique, si nihil ei accideret, duodecies via quam maxime contracta victoriam ceteris longiores vias peragentibus praeriperet, quid mirum, si statim oppido relicto unusquisque certantium ut primus exteriorem metam attingeret, omni contentione nitebatur?

Quapropter persuasissimum habeo Cleoetam invento suo id potissimum efficere et debuisse et voluisse, ut universis eiusdem missus certantibus viae ab oppido ad exteriorem metam plane exaequarentur. Neque enim ultra metam quicquam praestare nec debebat nec poterat, quia ibi filum, ut ita dicam, certantium, si modo usque eo cohaeserat, quod admodum raro evenisse reor, discindi ac dissolvi necesse erat. Videamus, num tali, qualem nos restituimus, oppidi constructione illa exaequatio perficiatur. Vocamur nunc ad circinum

et regulam. Si mathematices praecepta spectamus, simplicissimum est centro circini constituto, ubi est litera M_2, radio M_2S arcum circuli describere, qui interiorem porticus versuram S et lateris A versuram D secet. Tunc ab omnibus arcus punctis ad M_2 pares sunt viae propter aequalitatem radiorum. Simili modo Romani videntur construxisse, quippe qui quattuor fere currus mittere solerent. Apud Graecos vero, qui multo maiore, decemplici saepe, missu currebant, eiusmodi constructio non solum permisisset, ut statim e carceribus alius agonista alium vexaret eiusque cursum turbaret, verum etiam periculum erat, ne filo certantium magis magisque ad laevam versus coartato aut agonistae sinistrum cornu tenentes, priusquam metam interiorem attingerent, praeter hanc metam in sinistram arenam aut, si hi resisterent, in medio acie positi utrimque cornibus superantibus compressi retro extruderentur. Namque spatium FQ non nimis contrahere licebat, cuius rei causam supra (p. 55) attulimus. In Romanis quoque circis interior meta a carceribus multo magis distabat quam exterior ab arcu circi C. Cleoetas illa pericula eo removit, quod arcum SD non ipse construxit, sed arcum GH prope rostrum ab ipsis agonistis fieri fecit. Non enim cuncti simul mittebantur, sed bini deinceps ita, ut primum postremus ordo h. e. ei, qui utrobique stationes porticui vicinas habebant, excurrerent: qui simulatque ad exitus proximarum a se stationum processerant, agonistae in his positi, h. e. secundus ordo, mittebantur, deinde ubi secundus ordo cum tertio exaequatus erat, hic currere incipiebat, tum deinceps eadem ratione ceteri ordines, donec omnes a porticu ad rostrum carceres relicti erant. (13: *πρῶται μὲν δὴ ἑκατέρωθεν αἱ πρὸς τῇ στοᾷ τῇ Ἀγνάπτου χαλῶσιν ὕσπληγες, καὶ οἱ κατὰ ταύτας ἑστηκότες ἐκθέουσιν ἵπποι πρῶτοι· θέοντές τε δὴ γίνονται κατὰ τοὺς εἰληχότας ἑστάναι τὴν δευτέραν τάξιν, καὶ τηνικαῦτα χαλῶσιν αἱ ὕσπληγες αἱ ἐν τῇ δευτέρᾳ τάξει· διὰ πάντων τε κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον συμβαίνει τῶν ἵππων, ἔστ' ἂν ἐξισωθῶσιν ἀλλήλοις κατὰ τῆς πρῴρας τὸ ἔμβολον*). Haec extrema eorum, quae modo attuli, Pausaniae verborum non sic intellegenda sunt, ut prope rostrum omnes

una recta linea iuxtim cucurrisse ille dicere voluerit, sed, cum antea viae singulorum ordinum a carceribus ad exteriorem metam peragendae diversae fuerint, nunc universis condicionem exaequatam esse. Non enim recta, sed curva linea prope embolum est, quod quomodo fiat, pluribus nunc exponam. Cum parietes stationum non recta inter se regione, sed omnes ad metam exteriorem spectasse supra (p. 56) diximus, agonistae etiam si non admissis statim equis, sed gradatim [1]) e stationibus ad rostrum progressi essent, non rectam ibi lineam descripsissent, sed curvatam arcui circum M_2 radio M_2G descripto parem, modo progredientes semper viam ad metam illam derexissent. Hic arcus GH coeuntibus inter se magis magisque cruribus SM_2 et DM_2 brevior est quam arcus SD circum eandem metam descriptus, qui totus stationibus, si eas ad illum reducas, occupetur. Eiusmodi arcus contractio necessaria est, quia, si certantes e parallelis carceribus parallelis inter se viis processissent, sinistri quinque sexve agonistae praeter metam interiorem in laevam arenam cucurrissent. At qui tanta arcus contractio fieri potuit? Quia arcui GH desunt spatia carcerum parietibus occupata: qui parietes satis firmi et lati erant, ut vetustatem ferre possent. Etenim singulis utrimque agonistis ad embolum procedentibus tantum introrsus viam declinare licebat, quantum spatii latitudine unius parietis occupabatur. Ergo arcus GH brevior est quam arcus SD latitudine cunctorum parietum. Hoc fiebat, ut diximus, etiam gradatim progredientibus. Nec vero tali circuli arcu Cleoetas

1) Verba Pausaniae (13): „Τὸ ἀπὸ τούτου δὲ ἤδη καθέστηκεν ἐπίδειξις ἐπιστήμης τε ἡνιόχων καὶ ἵππων ὠκύτητος“ a multis, imprimis Francogallis, ita intellecta sunt, quasi ille dicere voluisset agonistas usque eo gradu progressos tunc demum habenas effudisse. Quod falsum esse res ipsa clamat. Nihil aliud inesse mihi videtur nisi, cum antea viae aurigis stationum derectione quasi praeciperentur, nunc eis iter patere, et cum antea pars equorum otiosa constitisset, nunc demum universos currere, ut hinc proprie universorum certatio incipiat. Mirum in modum haec simplicia ac paene supervacanea verba interpretes sollicitaverunt: etiam Lehndorffius (p. 27) multa sine iusta causa in ea ventilavit atque Pausaniam imperitiae incusavit.

contentus erat, sed lineam magis etiam curvare studebat, ut rem subtiliorem et perfectiorem faceret. Quod ut assequeretur, non gradatim, sed ex ipsis carceribus equis admissis certantes misit (13: ἐκθέουσιν, θέοντες): id igitur excurrendi genus adhibuit, quod nos „fliegenden Start“ vocamus.[1]) Namque primus ordo h. e. postremus, cum utrimque admissis equis ad exitus secundi ordinis stationum venerat, iam afferebat aliquantum impetus („lebendige Kraft“), quo paulo post hunc secundum ordinem ex otio („tote Kraft“) profectum celeritate superaret. Item secundus ordo eadem de causa superabat tertium, tertius quartum, denique proximum proximus quisque. Accedit illud etiam, quod crescentibus ab embolo ad porticum versus singularum stationum intervallis (p. 56), quo quis longius ab embolo remotus erat, eo maiore spatio proximam a se stationem sortitum praeoccupabat. Quocirca prope rostrum non arcus circuli GH fiebat, sed linea magis curvata KL, cuius cornua medium maioribus utrimque spatiis GK et HL superabant quam arcus illius GH. At ita viae ab hac linea falcata et parabolae simili ad metam exteriorem percurrendae iam non inter se pares, sed exteriores interioribus breviores erant. At hoc ipsum optime ex sententia Cleoetae fiebat. Namque siquidem celeritas equi currentis non, ut rei ex alto cadentis, semper usque ad finem cursus aequaliter crescit, sed per breve tantum spatium C fere metrorum, equi quoque primi ordinis, ubi sunt literae K et L, ibi celeritatem iam compleverant et inde ad M_1 et N aequabili velocitate currebant. Ei vero equi, qui propius ab embolo constiterant, celeritatem eodem tempore, quo primi ordinis nondum cumulaverant, sed augebant etiam per quoddam spatium, quia, ubi lineam lunatam KRL consequebantur, nondum idem quod primus ordo, sed brevius spatium percucurrerant et eo brevius, quo propius ab embolo e carceribus profecti erant. Ita fiebat, ut equi ipsum utrimque rostrum contingentes, qui novissimi excurrebant, celeritatem tum demum complerent, cum spatium permensi erant, quod

1) Cfr. Lehndorffium p. 28.

spatio SK par esset h. e. cum eo venerant, ubi est litera Q metae interiori aequata. Adde equorum imprimis certantium consuetudinem, qua alios equos si ante se currentes vident, summopere consequi student, ut equi novissime excurrentes maiore studio atque impetu cursum incipiant quam primi. Ex quo perspicuum est lineam falcatam KRL media parte paullatim procedente eo planiorem fieri, quo propius ad M_1 accederet, ut ad ipsam metam linea minus curva M_1QN efficeretur. A qua linea, cum compar esset arcui radio M_2M_1 circum M_2 descripto, universis certantibus viae ad M_2 peragendae pares erant.

Restat una quaestio, quomodo fieri potuerit, ut linea falcata KRL in breviorem arcum M_1QN contraheretur. Etiam hoc ingeniose Cleoetas eo providit, quod inter dextros et sinistros carceres embolum interposuit. Is enim tam amplus erat, ut eo dempto linea lunata arcui illi M_1QN longitudine par esset. Cum igitur prior contractio lineae lunatae ita fieri posset, ut ei spatia carcerum parietibus occupata dessent (p. 62), haec altera contractio eo fiebat, quod spatium emboli ei subtrahebatur. Praeterea emboli interpositu id quoque efficiebatur, ut linea falcata non dura nec rigida esset, sed per spatium RQ prementibus ab utroque cornu agonistis introrsum cederet, quo minus aut medii retro aut sinistri ad laevam extruderentur. —

Ac nunc quidem, quoniam quae fuerit inventi ratio, exposui, inquirendum est, num haec ratio experientiae responderit. Namque permultas res, quas ratione optime excogitaveris, si experieris, praeter spem evenire nemo nescit. Cleoetam scilicet, cum condiciones certantium, ut diximus, suo iure eo aequaret, quod vias ab interiore ad exteriorem metam percurrendas omnes inter se pares fecit, non latebat re vera omnino perpaucos via ad hanc metam derecta insistere potuisse, longe plurimis curva via a meta ad dextram fuisse declinandum, quia arcus M_1QN non adeo contrahi poterat, ut punctum fieret, et unus tantum primus e multitudine, non plures eodem tempore metam attingebant. Paribus igitur con-

dicionibus alii alio modo pro eo quem obtinebat loco certandum erat. Quocirca non suo quisque arbitratu stationem sibi eligebat, sed sortiebatur, ne quis eam sibi arrogaret, unde excurrendo se et equos exercuisset, neve plures unam et eandem sibi vindicarent. Sortitione factum est, ut unusquisque ad omnes stationes et certandi modos cum eis coniunctos praeparatus in certamen descenderet. Qui modi quales fuerint, ut cognoscamus, ex re erit singulos agonistas ab oppido ad metam sequi stationumque singularum et commoda et incommoda accurate pendere. Cum vero omnium modorum varietatem perlustrare longum est et supervacaneum, ex multitudine certantium eos solum eligo considerandos, in quibus commoda et incommoda luculentissime appareant et qui instar sint complurium prope se eodem fere modo certantium: eum, qui sinistrum cornu, eum, qui dextrum cornu, et eum, qui mediam aciem obtinet. Si igitur arcum certantium in tres partes inter se pares diviseris, suam cuique illorum partem adnumerato, quae eodem fere atque ille certandi modo utatur: sinistro sinistram, dextro dextram, mediam medio. Tres singulorum agonistarum queunt cogitari condiciones: aut pari ceterorum celeritate currebat aut reliquos superabat aut a ceteris relinquebatur. Quarum hae duae considerentur non oportet, quamquam semper fere acciderunt, quia, si quis ceteros praeoccupaverit aut ab eis relictus erit, eum liberiore iam viae sibi eligendae potestate oblata quam brevissima metam petivisse consentaneum est. Ac ne Cleoetas quidem omnino earum debuit rationem habere idcirco, quod, si qui aequatis viis a ceteris relinquebantur, non illius culpa erat, sed vel equorum tardiorum vel imperitiorum agonistarum vel de consilio equos retinentium, ut tumultum ac concursus fugerent (Soph. El. 734). Accedit, quod aequis condicionibus tamdiu modo providere debebat, quamdiu omnino poterat h. e. quamdiu acies certantium nondum dissoluta erat. Aliter res se habet, si universi pari velocitate vehebantur propterea, quod tunc libertate illa coërcita plerosque certantes ea sola via currere necesse erat, quae cuique a ceteris non occupata patebat. Tunc si quis incommodum cepit,

non sua culpa, sed Cleoetae erat. Nostrum igitur est hoc accuratius examinare, num tunc quoque condiciones aequae sint. Consentaneum est, rarissime vel potius paene nunquam accidisse, ut una universi fronte usque ad exteriorem metam currerent, sed per quoddam tantum spatium. Tamen, quoniam potuit illud aliquo casu fortuito accidere et condiciones, si usque eo aequas esse apparuerit, etiam per quodlibet brevius spatium aequas esse demonstratum erit, rem suscipiam.

Ac primum dicendum est certantes, si pari velocitate una continua fronte usque ad metam exteriorem cucurrerunt, non per spatium triangulo $M_1 M_2 N$ par vestigia fecisse, sed per parallelogrammon $M_1 M_2 XN$. Sinistrum igitur agonistam solum et primum metam attigisse in aperto est. Hoc erat huius commodum idque gravissimum.[1]) Nec vero hoc praemium cepit nec capto fructus est, nisi duo incommoda in via sibi obstantia superaverat et periculum imminens evitaverat; alterum erat, quod inde a rostro usque ad metam exteriorem, cum omnes agonistae hanc metam appetentes ad laevam versus urgerent, pressantibus resistere debebat, quamquam in hac re eo iuvabatur, quod proximos a se utpote in arcus cornu certans paullum superabat. Alterum incommodum erat, quod ei, priusquam metam exteriorem assequeretur, cursus retardandus erat, ne aut effuso cursu praeter eam in arcum circi rueret aut equi laberentur.[2]) Periculum autem erat illud notissimum, ne axe in meta illisa curru effunderetur, quod periculum pressu illo augebatur.

Dexter vero agonista contraria fere ex omni parte condicione certabat, si pari velocitate una continua fronte usque ad metam exteriorem cucurrerunt, id quod,

1) Cfr. Il. Ψ 344—48. Si acie prius dissoluta, ut semper fere fiebat, alius metam primus occupaverat, huius erant eadem commoda.

2) Xen. de re equ. c. VII § 15: *δεῖ δὲ καὶ ὑπολαμβάνειν ἐν ταῖς στροφαῖς· οὐ γὰρ ῥᾴδιον τῷ ἵππῳ οὐδ' ἀσφαλὲς ἐν τῷ τάχει ὄντα κάμπτειν ἐν μικρῷ, ἄλλως τε κἂν ἀπόκροτον ἢ ὀλισθηρὸν ᾖ τὸ χωρίον.*

ut iterum iterumque repetam atque urgeam, rarissime aut paene nunquam factum est. Namque cum id incommodi ei accideret, quod longissime a meta prohibebatur, tamen non solum nullo urgente lata ei via patebat, sed etiam citatissimo cursu orbem circum metam quamvis spatiosiorem describere poterat.[1]) Qua de causa non credo unquam omnes certantes una aequa fronte ad hanc metam pervenisse, sed ita, si forte cuncti incolumes eodem tempore huc venerant, ut a dextro sinistrum cornu admodum longe superaretur. Nec debes omnino reri certantes excepto sinistro agonista orbes semicirculis circum metam descriptis pares confecisse. Minime. Verum quibus metam radere non contigerat, ei damnum compendio, quod licebat, ita compensabant, ut adductis loris sinistris orbem quam artissime cogerent itaque etiam nunc metam quam proxime circumflectere studerent. Quapropter si quis rem sibi ita cogitatione fingat, ut agonistarum acies tamquam radius in puncto M_2 fixus et circum hoc motus metam circumierint, quomodo ordines militum decurrere solent, is pravam rei speciem ac paene ridiculam cepit. Nam praeterquam quod celeritates equorum ita modificatae esse debuissent, ut certa ratione extrorsum crescerent, primus agonista non tam stultus et bonus erat, ut ad metam fixus exspectaret, dum ceteri semicirculos absolverent. Immo is iam aliquantum ulterioris spinae lateris recta carpserat, cum ceteri orbem nondum confecerant. Quare talis fere linea facta est, qualem in forma designavi. Meo igitur iure contendo frontem certantium, nisi iam antea dirupta erat, prope metam exteriorem dissolvi prorsus necesse fuisse.

---

1) Non possum assentiri Boettichero dicenti (Olympia u. s. w. p. 119): 'Immer sind die Räder sehr niedrig: der antike 'Sport' hat sich nie dazu aufgeschwungen, für die glatte Rennbahn Gefährte mit hohen Rädern zu bauen, die ja eine schnellere Gangart wesentlich erleichtert hätten. Aus der Praxis des Krieges wie der Reise auf unebenen Wegen behielt man das sicherer gehende Fahrzeug mit den niederen breiten Rädern bei.' Veteres enim melius sciebant, quantum humiles rotae altis praestarent: altae videlicet pondere elevato multo magis effecissent, ut currus in circuitu everterentur.

Restat, ut medii agonistae commoda et damna pendamus. Is quoniam locum inter sinistrum et dextrum medium tenebat, sic etiam commodorum et incommodorum utriusque dimidium habuisse concludi licet. Ne vero superantibus cornibus paullatim retrorsum extruderetur, id periculum eo compensatum video, quod recentibus equis novissimus ab oppido profectus, cum ceteri iam per aliquantum spatii equos egissent, crescente deinde celeritate in arcu certantium quasi cuneabatur.

Videmus igitur, si totam rem animo denuo complectimur, Cleoetam non solum eo condiciones exaequasse, quod vias ad exteriorem metam consequendam pares fecit, sed eo etiam, quod commoda et incommoda singularum stationum, quoad potuit, compensavit. —

Redeamus nunc, quoniam finem totius inventi demonstravimus, ad oppidum rationemque mittendi diligentius contemplanda. Ac primo quidem loco de signo dicam, quo dato missum sit. Pausanias haec narrat (10): „*Δελφὶς δὲ ἐπὶ κανόνος κατὰ ἄκρον μάλιστα τὸ ἔμβολον πεποίηται χαλκοῦς.* .... (12): *Ἀετὸς δὲ ἐπὶ τῷ βωμῷ χαλκοῦς κεῖται, τὰ πτερὰ ἐπὶ μήκιστον ἐκτείνων. ἀνακινεῖ μὲν δὴ τὸ ἐν τῷ βωμῷ μηχάνημα ὁ τεταγμένος ἐπὶ τῷ δρόμῳ· ἀνακινηθέντος δὲ ὁ μὲν ἐς τὸ ἄνω πεποίηται πηδᾶν ὁ ἀετός, ὡς τοῖς ἥκουσιν ἐπὶ τὴν θέαν γίνεσθαι σύνοπτος, ὁ δελφὶς δὲ ἐς ἔδαφος πίπτει*“. Cum neque quem ad finem neque quo tempore hae machinae sint motae, aperte dictum sit, nostrum est haec conicere. De tempore nemo dubitabit, siquidem in eis, quae continuo sequuntur, verbis inest ipsius missus enarratio: ergo ante missum factum est. Finem mihi videntur indicare verba illa: *ὡς τοῖς ἥκουσιν ἐπὶ τὴν θέαν γίνεσθαι σύνοπτος*. Etenim machinas ideo ante missum motas esse censeo, ut spectatoribus inter se colloquentibus et oculos quoquo versus avertentibus missus statim faciendi signum sint. Quare cum delphinus tum aquila tanta magnitudine erant, ut omnibus, etiam extremis conspicua essent. Illae machinae quales fuerint, utrum tractoriae an vectiariae, vel num aquilae et delphini inter se coniunctae fuerint, quod mihi propter longinquitatem minus

verisimile videtur, haec perscrutari et excogitare permitto ingenio fabrorum. Vectes videntur adhibiti fuisse, siquidem delphinus in scapo, qui vectis est, iacebat eiusque capite sublevato humi cadebat. Hoc potius quaerendum est, cur horum potissimum animalium simulacris, non aliorum ad hunc finem Cleoetas usus sit. Hoc non temere, sed religiose fecit, id quod ipsa ara indicatur. Nam cum ludi Olympici Iovi dedicati essent, apte fiebat, quod aquila, Iovis ales, passis alis in aerem sublevatus numinis loco signum incipiendorum certaminum dabat et certantibus tanquam ipse deus aderat. Delphinus autem Neptuno, numini equorum, sacer erat, qui aram sibi dedicatam in prora habebat.[1]) Cum vero aquilae sit in aerem escendere, delphini in mare demergi, hic de embolo in arenam decidit quasi undas petiturus. Praeterea rostrum navis delphino ornare veteres solebant: apte igitur hic quoque in rostro prorae iacebat. Nec vero haec duo signa suffecisse existimo. Nam etiamsi aquilam in altum saluisse (*ἐς τὸ ἄνω πηδᾶν*) Pausanias dicit, tamen tardius hoc fieri necesse erat, quam ut tale mittendi signum, quale res postulabat, esse posset. Accedit, quod certantes quippe stationibus inclusi talia signa animadvertere omnino non poterant. Credo igitur proprium ipsius missus signum tuba datum esse, quippe quae per breve tempus sonans ab omnibus late perciperetur. Hoc signum veteribus in certaminibus usitatum fuisse complures loci demonstrant, quos lubet afferre.

Soph. El. 711 in Pythiis:

χαλκῆς ὕπαι σάλπιγγος ᾖξαν.

---

1) Paus. V 15, 5: „*Ἐν δὲ τῶν ἵππων τῇ ἀφέσει, ἐν μὲν τῷ ὑπαίθρῳ τῆς ἀφέσεως κατὰ μέσον που μάλιστα Ποσειδῶνος Ἱππίου καὶ Ἥρας εἰσὶν Ἱππίας βωμοί, πρὸς δὲ τῷ κίονι Διοσκούρων.* Cum etiam illa ara, cui aquila superimposita erat, in media fere prora staret (VI 20, 11: *κατὰ τὴν πρῴραν μάλιστά που μέσην*: nam media prora et medium oppidi apertum spatium idem sunt locus), fingendum est tres aras, Iovis, Neptuni Equestris, Iunonis Equestris, omnes prope mediam proram exstructas fuisse ita quidem, ut Iovis, cui illam aquila ornatam dedicatam fuisse censeo, medium locum obtineret.

Ov. Met. X 652, ubi pedibus Atalante et Hippomenes certant:

Signa tubae dederant, cum carcere pronus uterque
Emicat, et summam celeri pede libat harenam.

Stat. Theb. VI 404 in Nemeis:

Insonuit contra Tyrrhenum murmur, et omnes
Exsiluere loco.

Apoll. Sid. carm. XXIII 339—41:

Tandem murmure bucinae strepentis
Suspensas tubicen vocans quadrigas
Effundit celeres in arva currus.

Quid quod de tuba etiam in Olympiacis equestribus certaminibus adhibita ex ipso nostro auctore comperimus? Is enim in eodem sexto libro (13, 9), ubi equam Phidolae, Auram nomine, excusso equite nihilo minus omnia curricula confecisse et vicisse narrat, haec verba facit: „*καὶ οὐδέν τι ἧσσον θέουσα ἐν κόσμῳ περί τε τὴν νύσσαν ἐπέστρεφε, καὶ ἐπεὶ τῆς σάλπιγγος ἤκουσεν, ἐπετάχυνεν ἐς πλέον τὸν δρόμον, φθάνει τε δὴ ἐπὶ τοὺς Ἑλλανοδίκας ἀφικομένη καὶ νικῶσα ἔγνω καὶ παύεται τοῦ δρόμου.*“ Quibus ex verbis viri docti concluserunt certantes, quotienscunque metam exteriorem circumveherentur, totiens ibi tubarum concentu salutatos esse, quo animi et agonistarum et equorum ad superandum periculum confirmarentur et ad celeritatem incitarentur. Ut omittam tali repentino clangore equos potius perturbari quam confirmari et prope metam impetum potius inhibendum quam augendum fuisse, ut deinde praetermittam quaerere, curnam id prope exteriorem metam solam nec etiam prope interiorem factum sit — nam hoc saepissime neglegunt non unam, sed duas metas paribus fere condicionibus fuisse —, verba ipsa eiusmodi interpretationi repugnant. Tunc enim pro *ἤκουσαν* propter repetitam actionem exspectandus est optativus *ἀκούσειεν*. *Ἐπετάχυνεν* potest et imperfectum et aoristus esse: ex indicativo aoristi *ἤκουσεν* aoristum esse apparet. Ergo non repetita actio ut verbo antecedenti *ἐπέστρεφε*, quod saepius utramque metam (*τὴν νύσσαν*) ambibat, sed una et absoluta

verbis significatur. Ego credo agonistas, quippe qui certandi studio et variis casibus diducti, quot curricula confecissent, facile obliviscerentur[1]), tubae sono monitos esse, cum ultimum curriculum inciperent, ut quantum impetus in equis reservassent[2]), tantum omne remitterent ac quam possent citatissimo cursu decertarent. Huc optime quadrat, quod continuo de decertatione sermo est. Quid ergo? cum finem certaminis tuba indicari videamus, nonne eodem iure tuba significabatur initium?

Potuit sane, nisi tuba placet, alius aeris clangore signum mittendi dari, velut, ut apud nos, tintinnabuli. Id demum titulo Pergami nuperrime reperto et a Fraenkelio in 'Antiquitatibus Pergamenis' (VIII 1. p. 8. No. 10) edito[3]) videtur indicari, quo Olympiaca Attali, patris Attali I., victoria currulis (*Ἀλεῖος στέφανος*) celebratur. Sunt autem versus huc spectantes hice (vv. 1—8):

[πολ]λὰ μὲν ἐγ Λ[ιβ]ύης [ἦ]λθ' ἅρμα[τ]α, πολλὰ δ' ἀπ' Ἄργευ[ς],
[πολ]λὰ δὲ π[ι]είρης ἦλθ' ἀπὸ Θεσσαλίης,
[οἷ]σιν ἔν[η]ρι[θμ]εῖτο καὶ Ἀττάλου· ἀθρόα δ' ὕσπληξ
πάντα διὰ στρεπτοῦ τείν[ατ' ἔ]χουσα κάλω,
[ἦ] μέγ' [ἐπ]α[χ]ήσασα θοὰς ἐξήλασε πώλους,
αἱ δὲ διὰ σταδίου πυκνὸν ὄρεγμ' ἔφερον
ἄλλαι ἔπ' ἄλλα θέουσαι. ὁ δ' Ἀττάλου ἶσος ἀ[έ]λλῃ
δίφρος ἀεὶ προτέραν ποσσὶν ἔφαινε κόνιν.

Cum enim v. 5 ipsa *ὕσπληξ* dicatur alte insonuisse (*μεγ' ἐπαχήσασα*), non dubium est, quin aeris clangor fortasse cum ipso fune aliquo modo coniuncti, quo signum missus faciendi datum sit, significetur. Quocum plane convenit versus Anth. Pal. XI

1) In Romanis circis singuli circuitus ita notabantur, ut unum ex septem ovis de spina demeretur.

2) Soph. El. 734: *ἤλαυνε δ' ἔσχατος μὲν ὑστέρας ἔχων | πώλους Ὀρέστης, τῷ τέλει πίστιν φέρων.*

3) Debeo huius tituli notitiam Curtio Wachsmuth, qui eum liberaliter mecum communicavit.

86, 3, qui falsam passus est interpretationem ('von Einem, der sich beeilt'):

ὁ ψόφος ἦν ὕσπληγος ἐν οὔασι.

Quae vero praeterea ex illo titulo discimus, ea etiam gravius videntur esse. Fraenkelius vv. 3 et 4 cum verbis Pausaniae VI 20, 11 oppidum Olympiaci hippodromi describentis prorsus congruere dicens verba magis contemplatus est quam rem. Etenim quod Pausanias et hic versificator eisdem fere verbis utuntur (ὕσπληξ, κάλως et καλῴδιον), quae ad talem rem describendam paene necessaria sunt, inde rem quoque apud utrumque eandem esse minime concludendum est. Immo res valde inter se discrepant. Nam cum Pausanias (§ 13) de compluribus funibus singulis stationibus praetentis aperte dicat, hic unus saltem universos currus alium iuxta alium, ut in circis Romanis, compositos (ἀθρόα πάντα) cohibet (v. p. 75 adn.). Unde efficitur inventum Cleoetae tunc temporis h. e. medio tertio a. Ch. saeculo Olympiae nondum extitisse, itaque Cleoetam non, ut viri docti meris coniecturis nisi adhuc senserunt, circa Ol. LXXX (= 460), sed plus ducentis annis post vixisse. Omnia enim, quae de Cleoeta scimus, Pausaniae debemus: et patri eius et filio nomen fuit Aristocles (VI 20, 14. cfr. p. 59 et V 24, 5). Patrem eundem Aristoclem esse coniecerunt, qui illam Aristionis columnam fecit; filium eundem, qui patris nomine omisso CIA II 652B (= Ditt. syll. 366 b) Ol. XCV. tertio anno (= 398/7) fundamentum Minervae Virginis restituisse commemoratur. Quid hae coniecturae, quas nequaquam necessarias esse concedunt (cfr. Overbeck, Antike Schriftquellen etc. ad No. 1033), contra hoc testimonium valent? Huc optime quadrat, quod Pausanias statuam a Cleoeta Athenis factam (cfr. p. 59) antiquis operibus diserte opponit (I 24, 3: ὅστις δὲ τὰ σὺν τέχνῃ πεποιημένα [= νεώτερα] ἐπίπροσθε τίθεται τῶν ἐς ἀρχαιότητα ἡκόντων, καὶ τάδε ἔστιν οἱ θεάσασθαι). Praeterea sequitur, ut ille Aristides, qui machinas inventi Cleoetae emendavit (v. p. 59) non Polycleti discipulus eiusdem nominis esse possit, quem quadrigarum bigarumque artificem fuisse Plinius

in Nat. Hist. XXXIV 72 memoriae prodidit (cfr. Brunn, Kstlg. I p. 277). —

Sed revertamur ad oppidum Olympiacum accuratius considerandum.

Pausanias dicit singulos ordines tum missos esse, cum proximas post eos stationes sortiti ad exitus stationum eorum pervenissent. Hoc re vera ita semper fere evenisse concedendum est. Quid vero, si cuius equi, ut fit, ne excurrerent, recusabant aut in altera ala lentius currebant quam in altera? Num tunc omnes ante eum positos in carceribus tam diu remansisse arbitremur, dum ille adveniret et sibi quoque excurrendi facultatem daret? Hoc minime credo. Nam quo iure insontes aliena culpa detrimentum capiebant? Si, ut exemplo utar, primi ordinis dexter agonista illo modo peccavit, integra dextra ala serius ad rostrum venisset quam sinistra et satius paene erat certamine desistere. Persuasum igitur mihi est certis utrimque temporis intercapedinibus carceres deinceps patefactos esse: hae intercapedines pro eo, quo equis ad spatia inter singulas stationes interposita percurrenda opus esse solebat, tempore computatae a porticu ad rostrum versus decrescebant (p. 58). Nolim ideo Pausaniam erroris vel neglegentiae arguere: nam re vera computatis intervallis spatia percurri solebant. Quaeres, nisi posteriorum equorum adventu, quanam norma adhibita stationes patefactas esse sentiam. Credo ego equorum procurrentium omnino non habitam rationem, sed intra proram missionem temperatam esse. Quod quomodo factum sit, varie excogitari licet. Simplex et probabilis ratio mihi haec videtur esse. Interior uniuscuiusque stationis paries, ubi exitus patebat, ibi perforatus erat. Per hoc foramen funis exitui praetentus [1]) trahebatur, qui satis longus erat, ut non

1) Possis mirari Pausaniam dicere (11): *„Πρὸ δὲ τῶν ἁρμάτων ἢ καὶ ἵππων τῶν κελήτων, διήκει πρὸ αὐτῶν καλῴδιον ἀντὶ ὕσπληγος“*, quia ὕσπληξ quoque rudens erat, qua de causa in sequentibus haec *καλῴδια* vocantur ὕσπληγες. Sed obversabatur animo haec scribentis ὕσπληξ ceterorum circorum et stadiorum propria, quae multo longior universas stationes una claudebat, ut hos funiculos ὕσπληγας appellare primo

modo stationem clauderet, sed etiam secundum parietem ad posteriorem stationis exitum pertineret. Ibi finem eius minister in manibus tenebat, qui eum signo dato retrahebat, ut anterior exitus patefieret. Hoc signum non illud erat, quod initio certaminis tuba dabatur, sed aliud, quod deinceps vel auribus vel oculis sensibile computatis illis intervallis vectiarius ('Starter', *ὁ τεταγμένος ἐπὶ τῷ δρόμῳ*) repetebat. Hunc in media prora stantem et ad clepsydram vel aliam temporis normam decrescentia illa intervalla distinguentem omnes ministri funes tenentes attentis animis observabant et signa numerabant, ut in tempore funem retraherent. Primo igitur signo dato postremi duo ministri primum ordinem mittebant, secundo proximi secundum, tertio proximi ab his tertium et ita deinceps usque ad rostrum. Quare factum est, ut funes introrsum tracti neque equorum pedibus neque currus rotis implicarentur, quod facile fieri poterat, si humi cecidissent. Haec ratio apud veteres nequaquam inaudita est, sed habet aliquid simile pausario remigibus portisculi ictu intervalla signanti.

Habes meam de hippaphesis et institutione et fine sententiam, quam duabus potissimum ex causis ceteris praeferendam censeo: quod cum Pausaniae verbis congruit et quod illius descriptionem ita interpretatur et supplet, ut perfecta condicionum aequitate Cleoetas vere artifex videatur, qui invento suo merito gloriatus sit: diligentissima autem condicionum exaequatione eo magis opus erat, quod Olympicae coronae honore maior cogitari non poterat. —


Venio nunc, ut mihi propositum est, ad refutationem eorum, qui ante me rem agitaverunt. Reperies eos a Rathgebero in Erschii et Gruberi universali literarum et artium encyclopaedia s. v. Olympia (sect. III. part. III. p. 124) enumeratos, quam enumerationem repetivit J. H. Krausius in eo, quem de Graecorum gymnastica et agonistica arte conscripsit,

---

dubitaret. Dion. Hal. A. R. III 68: *Ἡ δὲ λοιπὴ τῶν ἐλαττόνων πλευρῶν αἴθριος ἀνειμένη ψαλιδωτὰς ἱππαφέσεις διὰ μιᾶς ὕσπληγος ἅμα πάσας ἀνοιγομένας.*

libro (Lipsiae CIↃIↃCCCXLI p. 150 adn. 9). Ad quos accedunt G. Hermannus et G. Lehndorffius, comes Borussicis equariis praepositus, quorum scripta iam laudavi. Nolo omnes inde a Salmasii temporibus alium post alium iudicare. Hoc longum est et supervacaneum. Nam id ex parte iam ipsi fecerunt, quamvis multa possint addi, ex parte eis quae supra exposui, tacite convincuntur. Praecipue Francogallorum, qui prae ceteris studium in hac re collocaverunt, omnem farraginem e temporum situ eruere supersedeo, nisi quod hic illic auream ex ea micam secernam. Qui ridere vult, is Pausaniam a Nicolao Gedoyen conversum (Parisiis a. CIↃIↃCCXXXI. vol. II. p. 50) evolvat et imaginem hippodromi a Folardio equite deformatam aspiciat. Mihi res est cum novissimis solis, qui nondum refutati sunt, cum Hermanno potissimum et Lehndorffio. Quorum sententiae quonam nitantur fundamento, ut appareat, graviorum sententiarum conspectum, quomodo inter se cohaereant, lubet adscribere (p. 78).

Priusquam autem ad illos duos refellendos accedam, paucis Delabordium cumque eo Hirtium reprehendam, quod porticum Agnapti obliquarunt ideoque dextrum sinistro latere longius fecerunt. Primum enim talis obliquatio ab omni symmetria aliena est. Deinde hoc idcirco fecerunt, ut rostrum prorae totam porticum complexae in dextram arenam spectaret. Verum in ea ipsa re valde peccaverunt, quod porticum et basin oppidi per integram arenae latitudinem extenderunt. Nam praeterquam quod stationes iusto latiores fuissent, quia tot tantum certantes oppido capere licebat, quot dextra arena spatium praebebat, et sinistra arena sinistra oppidi ala contracta esset, quod ineptum erat (p. 57), qui eiusmodi constructione condiciones universis aequae erant? Iam Choiseul-Gouffier rectissime monuit (p. 237) sinistrae alae condiciones longe iniquiores fuisse. „M. de la Borde“, ait, „paroît n'avoir pas assez fait attention que les chars du côté gauche, destinés à courir en même temps que ceux du côté opposé, et devant se porter d'abord vers le côté droit de la lice, auroient eu bien plus de chemin à faire; sans compter que, non loin du départ, il leur eût



1) Museo Pio-Clementino tom. V. Romae. tab. A n. 1. p. 81—83.

2) Descripción de un pavimento en mosayco descubierto en la antigua Italica, hoy Santiponce, en las cercanías de Sevilla. En Madrid (Paris) M.DCCCVI.

3) Mémoires de littérature, tirés des registres de l'acad. royale des inscr. et bell.-lett. tom. IL. Paris M.DCCCVIII p. 222: Sur l'hippodrome d'Olympie. Miror hunc Viscontii et Delabordii commentationes novisse, cum iam anno M.DCCLXXXIV in consessu academico sententiam eum disseruisse in capite scriptum sit. Hoc ita expediendum videtur, ut eum, priusquam illud corpus commentationum academicarum prelo subiceretur, illorum dissertationum intra illos XXIV annos editarum rationem habuisse existimem. Tametsi multa partim a prioribus recepta perverse disputavit et octogonon, quod repperit, carceres non fuisse nuper ad oculos demonstratum est, tamen priorum sententias recensendo et prava Delabordii potissimum (p. 237) reiciendo rem adiuvit.

4) Geschichte der Baukunst vol. III. p. 145—50. tab. XX. fig. 8.

5) Koner fig. 164 p. 147 (Delaborde tab. XVIII).

6) Handbuch der klass. Altertums-Wissenschaft von Iwan Müller. vol. V 3. § 105.

fallu tourner une première borne avant de se trouver sur la même ligne que leurs concurrens, ce qui eût encore augmenté leur désavantage.“ Hirtii punctum normale, quod prope interiorem metam posuit, ab Hermanno (p. 8) et Lehndorffio (p. 25) affatim est confutatum. Quibus causis quoniam perperam illos totam porticum oppidi alis complexos esse demonstratur, ne obliquatio quidem necessaria est: si vero obliquatio tollitur, non est quod dextrum latus sinistro longius sit. At Romanorum circorum similitudine nisi hoc fecerunt, quorum integra latitudo carceribus occupata erat. Certe: sed id quem ad finem ibi spectaverit, postmodo videbimus. Qui vero dextri lateris maiorem longitudinem ita consequi student, ut non porticum obliquent, sed collinum latus h. e. sinistrum ex illorum sententia contrahant neque ad porticum perducant, ne eis quidem fidem habere possum, quia mirum fuisset, si ibi vacuum spatium hiasset, ubi decertantibus iam agonistis spectatores valde delectari poterant.

Hermannus quidem Viscontii descriptionem per omnia sectatus argumentis et explicationibus firmare studuit, nisi quod novam sententiam dubio maxime obnoxiam addidit. Si igitur illud ei fundamentum subtraxeris, ipsius quoque opinio maxima ex parte corruet nec quicquam aliud restabit, nisi ut novam eius sententiam impugnes. Viscontius Periegetae verba, quae de amplitudine alterius lateris facit, nimis urgens dextram arenam multo longius ab interiore meta reduxit quam laevam. Hoc quam ineptum sit, et ex eis elucet, quae p. 57 disseruimus, et ex eis, quae Lehndorffius p. 25 rectissime contra dixit.[1]) Itaque si alteram arenam producere voluit, laevam potius producere debuit. Sed fac rem ita recte se habere, alterum quoque mendum inest non minus grave, quod nondum vituperatum est. Remotam illam arenam solam retro porticu

1) 'Er bedenkt nicht, dass nach seiner Construction, er mag das Ziel nach dem vorderen oder hinteren Ende der Theilungswand F (spina) verlegen, der Schlusskampf stets unmittelbar vor (oder eigentlich nothgedrungen schon in) einer scharfen Doppelwendung stattfinden müsste, was technisch undenkbar.'

praeclusit, cui simili modo atque Delabordius carcerum arcum recta regione imposuit. Cum vero porticum dextro lateri sic acclinaret, ut rectangulus fieret, certantes dextrae alae stationes sortiti multo iniquioribus ad exteriorem metam consequendam condicionibus utebantur quam sinistrae. Immo ita condiciones ad punctum inter hanc metam et dextrum latus medium attingendum pares erant. Si igitur condiciones metam petentibus exaequare volebat, dextram porticus partem debebat promovere aut, ut nos facimus, oppidi regionem ita obliquare, ut embolus ad exteriorem metam derecta esset. Denique quod carceres non in hippodromum recta regione spectantes, sed transversos posuit, ut maiori certantium numero spatia praeberet, id Hermanno adeo placuit, ut rem pluribus etiam exponeret (p. 10). Non possum satis mirari non illum ipsum in eo offendisse, quod ipse aperte, tanquam commodum esset, dixit ‘egressos ex dextrae alae carceribus equos paullum ad laevam, ex sinistris ad dextram flectendos fuisse, priusquam recta procederent’. Quid ergo? Quomodo quisquam certantium e statione evehi poterat, nisi ut cum curru e proxima a se statione egressi collideret? Praeterea ineptissimum erat certantes cogere ex ipsis carceribus statim arto flexu cursum declinare, quia sine mora ac perturbatione excurri multum intererat. Quas evitare sic difficillimum erat, praesertim cum equi cursum expetentes vehementer ferocirent. Quod miror ab Hermanno negari (p. 7). Etenim nisi id suis oculis videre potuit propterea, quod eius aetate equestria certamina nostratibus multo minus usitata erant quam nunc, tamen veteres audire debebat poetas, qui data occasione equos contra carcerum repagula obstrepentes describere vix umquam omiserunt.[1])

Quoniam Viscontium cumque eo simul Hermannum, quoad quidem illum probaverit, redarguimus, iam ad novam huius sententiam accedamus, quae cum Viscontii non cohaeret. Sentit enim (p. 13), cum oppidum plures quam curriculum quadrigas

1) Ov. Met. II 155. Stat. Theb. VI 396—401. Apoll. Sid. carm. XXIII (ed. Sirmond.) 331—34.

cepisse putet, qui ad unam eandemque certationem in arenam descendissent, eos non uno universos missu, sed pluribus continuis missos esse ita quidem, ut primo postremi utrobique totidem eo modo, quo dixit Pausanias, mitterentur, novissime, ubi illi ad rostrum uno ordine exaequati pervenissent, proximi ab embolo: sic non una cunctos certantes, sed pluribus continuis frontibus decurrisse. 'Denique', ait 'quibus adversissima sors cecidisse visa esset, optimas stationes accepisse; quibus autem maxime sors favisset, iniquissima usos esse condicione, quam eos perita moderatione equorum cursuque tempestive vel temperando vel incitando debuisse compensare'. Quod quomodo sibi mente cogitaverit, nequeo perspicere: dictu mihi certe facilius videtur esse quam factu. Equidem si unus ex eis fuissem, qui stationes prope ad embolum sortiti essent, statim cursum flexissem et porticu Agnapti relicta iugum equis dempsissem.

Venio nunc ad Lehndorffium, quem etsi omnium rerum ad nostrae aetatis curricula pertinentium peritissimum esse haud ignoro, Pausaniam interpretantem nequaquam omnibus ex partibus possum comprobare. Multa, quae protulit, cum Choiseuli-Gouffier sententia sic conveniunt, ut mirer, nisi ab illo profectus sit. Konerus in novissima operis sui supra laudati editione eius sententiam secutus imagine (fig. 164) illustravit. Cum multis priorum Lehndorffius aliqua in re consentit: cum Delabordio, quod porticum et oppidi basin ab altero ad alterum marginem hippodromi extendit, cum Viscontio, quod margines cum porticu rectangulos efficiunt, ut rostrum contra ipsam metam interiorem situm sit, cum Choiseulio-Gouffier, quod a dextra tantum ala mittit. Hoc a verbis Pausaniae, cuius fidem iusto minoris aestimat, aperte discrepat. Nam quod Choiseulio (p. 235) adstipulatus adverbium *ἑκατέρωθεν* ita intellegit (p. 30), ut funiculi singulis stationibus praetenti ab utroque fine remissi sint, neglexit pluralem *αἱ πρὸς τῇ στοᾷ τῇ Ἀγνάπτου ὕσπληγες*. Cum autem in dextra ala una tantum statio porticui contigua et huic stationi una tantum *ὕσπληξ* praetenta sit, fieri non potest, quin ad utriusque

alae stationes postremas pluralis spectet. Porro non intellegerem, cur deinceps auctor verbo *τάξις* usus esset, cum simpliciter *οἴκημα* dicere posset. *Τάξις* est ordo, series, acies, quae non ab uno efficiuntur, sed semper a pluribus. *Πρώτας* autem *ὕσπληγας* non complures eiusdem alae propioribus a porticu stationibus praetentos funes esse inde elucet, quod eis opponitur *δευτέρα τάξις*. Ergo ab utraque oppidi ala simul missum esse non potest negari. Similiter peccat, quod dubitat, num sinistra ala omnino stationes habuerit[1]), cum hoc auctor plurali aperte indicet (11: *ᾠκοδόμηται δὲ ἐν αὐταῖς* [*ταῖς πλευραῖς*] *οἰκήματα*). Ut autem ibi quoque stationes fuerint, ad quem usum eas spectavisse censeat, videamus. Inter duo dat optionem: aut in eis paratos exspectavisse agonistas proximo certamine certaturos, donec dextrae alae stationes ab antecedenti missu relinquerentur, ut tum in his consisterent, aut pro frigidariis fuisse eis equis, qui certatione iam desudassent. (Quod dicit: 'als Kühlställe für die gesiegt habenden Pferde', hoc neglegentius quam verius dictum arbitror.) Quod attinet ad illam priorem sententiam, quam veri multo similiorem sibi videri ipse ait, valde miror, qui vir omni talium rerum experientia ornatus tam falsa proferre potuerit. Neque enim si rem mente diligentius volutasset, eum fugisset agonistas, cum ex sinistris circum rostrum in dextras stationes equos derexissent, inversos in his stetisse, ut equi non in curriculum, verum in oppidum spectarent! Erant igitur in ipsis stationibus retro flectendi, quod aurigis certe propter spatii angustias non licebat. Si autem extrinsecus ex arena, non ex oppido in sinistras stationes et deinde per oppidum in dextras se contulissent, recte quidem stetissent, sed nonne satius erat et brevius omissis sinistris ex ipso oppido in dextros carceres invehi? Frigidaria vero equina, quod sciamus, a veterum usu aliena erant. Immo equi, ubi laboraverant, ad volutabra ducebantur (Xen. de re equ. V 3: *εἰδέναι δὲ χρὴ τὸν ἱπποκόμον καὶ τὸν κημὸν περι-*

1) p. 33: 'Hatte die linke Seite überhaupt Oikemata.'

τιθέναι τῷ ἵππῳ καὶ ὅταν ἐπὶ ψῆξιν καὶ ὅταν ἐπὶ κάλιστραν ἐξάγῃ. Id. Oecon. XI 18: *ἐπειδὰν δὲ ταῦτα [ἡ ἱππασία] γένηται, ὁ παῖς ἐξαλίσας τὸν ἵππον οἴκαδε ἀπάγει.* Aristoph. Nub. 31 de equo currili: *ἄπαγε τὸν ἵππον ἐξαλίσας οἴκαδε.* Ael. hist. anim. III 2 de Libyum in curandis equis neglegentia: *οὔτε γοῦν αὐτοῖς κομιδὴν προσφέρουσιν οἱ δεσπόται, οὐ καταψῶντες, οὐ καλινδήθραν ἐργασάμενοι κτλ.* Cfr. etiam eiusdem var. hist. XIV 15 et lexicographos s. vv. *κυλίστρα, ἐξαλίστρα, ἀλινδήθρα*). In Alphei quoque ripa tale aliquid fuisse iure licet sumere.

Hanc de sinistrorum carcerum usu sententiam Lehndorffius etiam ad Romanos circos transtulit (adn. 29).[1]) Sed ne in his quidem valet, quod ibi quoque, quamquam rarius, ex omnibus carceribus, et dextris et sinistris, missum esse scimus. Quoniam hic rem longius persequi non licet, delego plura sciscitantem ad Friedlaenderi historiam morum Romanorum (in vol. II. p. 291. 312. 464). Praeterea in dimicationibus[2]) pugnatores alteros e dextris carceribus in dextrum, alteros e sinistris in sinistrum curriculum, ut in arcu circi inter se concurrerent, missos esse coniciendum est. Hoc loco Romanorum circorum institutionem accuratius considerare quamvis animus ferat, tamen, ne longius a re proposita aberremus, vetamur. Unum vero defendam, quod contra me aliquis possit conver-

---

1) 'Ich halte es für höchst wahrscheinlich, dass nur die vier resp. sechs Carceres zur Rechten des Einganges für den Ablauf benutzt wurden, die zur Linken dagegen als Kühlställe für die Pferde nach dem Rennen dienten; oder, was mir noch viel wahrscheinlicher, zur provisorischen Aufstellung der Gespanne, die im nächstfolgenden Rennen (Missus) concurriren sollten, und sich jedenfalls eine Weile vorher einfinden mussten, um ohne Zeitverlust in die Ablaufscarceres einrücken zu können, sobald die vorhergehende Nummer des Programms beendet, sowie auch heute noch die Pferde für spätere Rennen des Tages sich auf dem Sattelplatze mindestens eine halbe Stunde vorher einfinden müssen, um im gegebenen Moment ohne Zeitverlust am Pfosten erscheinen zu können. Nach dieser Analogie möchte ich dann auch den Zweck der linksseitigen Oikemata in der griechischen Aphesis beurtheilen.'

2) v. Suet. Domit. 4.

tere. Quod enim Delabordio et Hirtio hippodromum Olympiacum restituentibus crimini dedi (p. 79), id in circis Romanis fiebat, ut quattuor laevi aurigae, cum trinis factiones certarent, anfractu praeter interiorem metam decurrere cogerentur. Sed quod monere non desisto, interest aliquantum, utrum quattuor id passi sint an viginti pluresve. Accedit, quod hoc incommodum adeo compensatum erat, ut condiciones etiam tum, cum duodecim currebant, id quod rarissime accidisse numeri titulis servati docent (apud Friedlaenderum l. l. p. 453 sqq.), aequae essent.

B.

DE TARAXIPPO.

Ut de carceribus, sic de Taraxippi et loco et causa ex natura petita diversissimae prolatae sunt sententiae. Olympiae eum fuisse aram rotundam in aggere positam (T) e Pausaniae verbis sequitur (VI 20, 15): „*παρεχομένου δὲ τοῦ ἱπποδρόμου παρήκουσαν ἐς πλέον τὴν ἑτέραν τῶν πλευρῶν, ἔστιν ἐπὶ τῆς μείζονος πλευρᾶς, οὔσης χώματος, κατὰ τὴν διέξοδον τὴν διὰ τοῦ χώματος τὸ τῶν ἵππων δεῖμα ὁ Ταράξιππος. σχῆμα μὲν βωμοῦ περιφεροῦς ἐστι, παραθέοντας δὲ κατὰ τοῦτο τοὺς ἵππους φόβος τε αὐτίκα ἰσχυρὸς ἀπ' οὐδεμιᾶς προφάσεως φανερᾶς καὶ ἀπὸ τοῦ φόβου λαμβάνει ταραχή· τά τε δὴ ἅρματα καταγνύουσιν ὡς ἐπίπαν, καὶ οἱ ἡνίοχοι τιτρώσκονται*". De cuius arae vera origine ac fine infra fusius agetur. Iuxta aram transitus per aggerem patebat, qui mihi in periculosissimo loco aptissimus fuisse videtur ad vulneratos et aurigas et equos curruumque rudera ex arena removenda.[1]) Quoniam simplici illa ara equos consternatos esse credi non potest, alia causa ex natura petita quaerenda est, quae Curtio Wachsmuth haec videtur fuisse. Cum hippodromus ad orientem fere vergeret, equi exteriorem metam circumgressi subito suas ipsorum ceterorumque umbras, quae usque eo pone eos fuerant, ante se conspicabantur easque longissimas, quia oriente sole equestres ludi fiebant. Tali repentino et insueto aspectu equis, ut erant metam ambeuntes

---

1) Ad eundem usum Constantinopolitani quoque circi portam quandam, cui *Νεκρὰ* nomen erat, in orientali latere sitam pertinuisse coniecit Ungerus 'Quellen der byz. Kunstgesch.' vol. I. p. 313.

concitati, tamquam vanis simulacris magnum pavorem inici potuisse mihi quoque simillimum est veri. Dices equos hoc aspectu paullatim assuefieri potuisse. At veteres causam non perspexisse Pausanias testis est („ἀπ' οὐδεμιᾶς προφάσεως φανερᾶς“), nec potuerunt equos bene assuefacere, etiamsi voluissent, quia in privatis curriculis, ubi equos exercebant, non tot, quot Olympiae, certabant: augebatur autem perturbatio equorum varia umbrarum multitudine. Ceterum Isaacus Tzetzes in scholio ad Lycophronis Alexandrae v. 42, quod infra afferam, Taraxippum πλησίον τοῦ καμπτῆρος situm fuisse dicit, non igitur in ipsa hippodromi curvatura.

Videamus nunc, quae alii de hac re senserint. Praetermitto Delabarrii[1]) quas Follardii equitis puerili adumbratione nisus protulit ineptias, quamquam quod rationem illius terroris quaerere studuit, laudandus est. Hoc alii quoque viri gravioris alias iudicii fecerunt, sed cum falsam rationem supponerent, etiam de loco statuendo in errores adducti sunt. Memores enim eorum apud scriptores locorum, qui de periculo metam ambeuntibus imminenti sunt, et κατὰ τὴν διέξοδον ita interpretati, ut sit: adversum exitum, quidam, in quorum numero Lehndorffius (p. 35), Taraxippum in ipsa exteriore meta collocaverunt, vel, ut Viscontius, iuxta spinam paullo ante metam, id quod vel ideo absurdum est, quia currus ad aram collisissent. Verum, quod Lehndorffius quidem concedit, ea

---

1) Histoire de l'acad. roy. des inscr. et bell. lettr. avec les mémoires de littérature tirez des registres de cette acad. depuis l'année M.DCCXXXI jusques et compris l'année M.DCCXXXIII. Tome IX. Paris 1736. p. 376: 'Dissertation sur les Places destinées aux Jeux publics dans la Grece, et sur les Courses qu'on faisoit dans ces Places' par M. de la Barre 1732. p. 386: 'C'estoit aussi à la sortie de la barriére de l'hippodrome qu'on voyoit un monument auquel une folle superstition attribuoit la propriété de troubler les chevaux[a]); ailleurs ils auroient causé de furieux desordres.

a) Ce trouble avoit une cause naturelle; il eût esté difficile que de fiers coursiers ne s'agitassent pas en passant de dessous des remises et d'une court étroite, dans un lieu spacieux, où la vûe de ce monument érigé en face de la porte, les frappoit d'abord, et dans lequel on les contraignoit de detourner sur les côtez.'

collocatio a disertis scriptoris verbis absona est: ἐπὶ τῆς μείζονος πλευρᾶς, οὔσης χώματος. Deinde neglexerunt interiorem metam idem atque exteriorem periculum circumflectentibus minari: ergo ibi quoque Taraxippum eorum sententia postulari.[1]) Quod hoc fecerunt, eadem qua plerique neglegentia laboraverunt: solent enim oblivisci non exteriorem modo, verum interiorem etiam metam fuisse, quae ab illa nulla in re differret. Eodem crimine ne Hermannum quidem plane absolvam, qui p. 13 Hirtio castigato Taraxippum ibi fere constituit, ubi ego, nisi quod in dextro latere eum posuit. Ait enim haec: 'Illa equorum perturbatio', inquit, 'quam et Olympiae et Pythone et in Isthmo et Nemeae Taraxippo, tamquam infesto cuidam genio, veterum superstitio tribuebat, in locis istis omnibus paullo ante anfractum ad remotiorem metam oriebatur. Nam quum omnino alacriores fiunt ferocioresque equi, ubi se ex recto cursu, praesertim brevissimo flexu, retro actum iri praesentiunt, quia et pedum fortiore nisu et totius corporis quadam quasi conglobatione opus est, tum multo magis saevire incipiunt, quum coniugatis sinistri cohibentur, incitantur autem dextri: quo et regiminis et cursurae dissidio, dum ipsi se simul et urgent et impediunt, fieri non potest, quin vehementer conturbentur facillimeque currus confringant. Ex quo apparet, eo loco Taraxippum ab Hirtio esse constitutum, quo iam superata meta desinit potius illa irritatio et fluctuatio, quam ut ibi initium capere possit. Hic quidem error proprius est Hirtii, vitatus quum ab aliis, tum ab O. Muellero'. Illud praesagium tametsi equorum tremorem ac perturbationem augere poterat, tamen sola eius causa propterea esse nequibat, quod idem equis circum interiorem metam flexuris accidebat.

Nunc quoniam causam in ipsa totius hippodromi institutione conditam exponere conatus sum, qua commoti Graeci Taraxippi opinionem habuissent, eius opinionis et originem et progressionem lubet persequi ad Olympiacum equorum terrorem postremo redituro.

---

1) Non nostra: nam equorum interiorem metam ambeuntium umbrae post eos erant.

Videmus similes opiniones iam Homero non fuisse ignotas. Nam illius aetatis homines ut proni ad omnem superstitionem, quaecunque ex ipsa rerum natura sequebantur, ad divinam auctoritatem referre studebant, sic etiam in certationibus, quae forte male eis acciderant, infesti sibi numinis auctoritate, quae prospere evenerant, fausti numinis auxilio facta esse credebant.

In eo, quod Homerus in Iliadis Ψ descripsit, equestri certamine Diomedi Eumelum praeoccupaturo Apollo illi iratus[1]) flagrum e manu excutit, ut equi eius lacrimas ob hunc casum fundentis stimulo liberi relinquantur (vv. 375—82). Tum Minerva Tydidae, cui favet, flagrum in manus reddit equosque eius robore implet (vv. 387—90. 400), Eumeli autem tanta ira flagrat, ut iugum eius frangat, quo facto equi discurrunt, temo humum radit, ipse vero e biga eversus misere vulneratur (vv. 391—97). Hoc est veterrimum, quantum nobis notum est, exemplum equorum in certamine consternatorum. Etiam tantulos casus, quantuli flagelli amissio et recuperatio sunt, ipsius divini numinis intercursui adscribere antiquissimorum temporum pietati prorsus convenit.

Similia, ut id comparandi causa afferam, in aliis quoque certandi generibus fiunt. In cursorum quidem certamine eadem Minerva se precato Ulixi, quem in deliciis habet, dat victoriam Aiace labefactato (vv. 768—83), et in sagittarum missione (vv. 859—83) Apollo Merionem adiuvat, qui ei hecatomben haedorum vovit (vv. 872 sqq.), id quod adversarius eius, Teucer, praetermisit (vv. 863 sq.). Quare videmus victorias certaminum ad favorem divinum vel perpetuum vel in tempus voto paratum lubenter relatas esse. Exempla modo allata docent perturbationes equorum non separandas esse a ceterorum, praesertim cursorum, et omnino numero divinarum in res humanas intercessionum inserendas.

Ceterum deos non solum in laetis certaminibus, verum etiam in gravioribus pugnis equorum perturbatores existere

---

1) Cfr. schol. ad v. 383.

inde colligi licet, quod Iupiter Diomedem eiusque equos fulgure perterrens, ne longius progrediantur, impedit (Il. Θ 130 sqq.). Hoc exemplum etsi non tam ad equos quam ad homines stupefaciendos spectare concedendum est, tamen idcirco propius ad Taraxippi opinionem accedit quam Eumeli, quod illic iugo fracto demum, hic ipsius Iovis fulgore equi terrentur vv. 131—36:

βροντήσας δ' ἄρα δεινὸν ἀφῆκ' ἀργῆτα κεραυνόν,
κὰδ δὲ πρόσθ' ἵππων Διομήδεος ἧκε χάμαζε·
δεινὴ δὲ φλὸξ ὦρτο θεείου καιομένοιο,
τὼ δ' ἵππω δείσαντε καταπτήτην ὑπ' ὄχεσφιν.

Id genus perturbationem ipsorum deorum interventu factam apud eos poetas epicos reperimus, qui Homerum et cyclicos eadem superstitione imbutos imitati sunt. Propria via ingrediuntur, seorsum ab ea, qua Taraxippi fabulae procedebant atque crescebant. Tamen in quibusdam rebus ab Homeri sententia discedere eos videbimus.

In equestri certamine apud Quintum Smyrnaeum (IV 500 sqq.) enarrato infortunium Thoae et Eurypyli (p. 69) utrum deorum auctoritati an naturali casui datum sit, non iam diiudicari potest, quod versus, quibus de hac re doceri possimus (post v. 524), exciderunt. Verisimile illud est ex similitudine cursorum, e quibus Teucer deorum opera cadit vv. 200—5:

δὴ τότε που Τεύκροιο μένος καὶ γυῖα πέδησαν
ἀθάνατοι· τὸν γάρ ῥα θεὸς βάλεν ἠέ τις ἄτη
ὄξον ἐς ἀλγινόεντα βαθυρρίζοιο μυρίκης.

Id potissimum hoc loco memoratu dignum videtur causam lapsus in dubio relinqui: non certus deus appellatur, quin etiam utrum deus an ate quaedam fuerit, dubitatur. Hoc ab Homero valde discrepat.

Nonnus in Dionysiacorum libro XXXVII. cursorum quidem certationem describens Homerum auctorem imitando consecutus est, quod Ocythoum eadem atque apud illum causa labentem (vv. 639—59. cfr. Il. Ψ 768—83. Verg. Aen. V 327 sqq.) et Erechtheum Borea adiutore vincentem facit, quamquam deus non ipse intervenit, verum procul velocitate eum exornat. Sed

equestre certamen narrans eo ab illo discrepat, quod equorum perturbationem (vv. 351—68) ad naturalem causam refert ita quidem, ut Actaeon ad Phauni quadrigam et equos praetervehendo sese impingat, et tantum Scelmim ab Erechtheo praecurri Minervae invocatae longinquis machinationibus attribuit (vv. 315—45).

Nova equorum consternationis species in Statii Thebaïde obviam fit. Nam cum apud Homerum eiusque sectatores dei ipsi equos vel prope vel ex longinquo perterreant, hic (VI 491—511) Phoebus ipse in circum descendere non satis habet (v. 493), verum etiam formidulosissimo utitur monstro:

'At tibi promissos iamdudum Phoebus honores,
Amphiarae, cupit. Tandem ratus apta favori
Tempora pulverei venit in spatia horrida circi,
Cum iam in fine viae et summum victoria nutat.
Anguicomam monstri effigiem, saevissima visu
Ora, movet sive ille Erebo seu finxit in actu
Temporis, innumera certe formidine cultum
Tollit in astra nefas' e. q. s.

Subtiliter rem iudicanti inepti aliquid mihi videtur in his inesse. Nonne ipsum Phoebum in arenam venire prorsus supervacaneum est? Ne Neptunus quidem Hippolyti equos monstruoso tauro in terrorem coniciens ipse ullo modo comparet. Credo igitur contaminationem hoc loco latere. Quae utri crimini detur, utrum Statio nostro an eius auctori, non ausim certo dicere. Auctore autem usus esse Statius censetur, quod ad materiem attinet, Antimacho. Ut in cyclica Thebaïde Homeri nomini adscripta[1]), sic etiam in Antimachi quin ludi funebres in Archemori honorem Nemeae facti fuerint enarrati, vix potest dubitari.[2]) Nec minus dubito, quin in equestri certamine equorum perturbatio facta sit, quia nullus epicus, cui equestre certamen describendum erat, talem pingendi occa-

1) Welcker ep. Cycl. II. p. 350—53.

2) ib. p. 352: 'Die Beschreibung von Kampfspielen ist eine fast nothwendige Episode des kriegerischen Epos.'

sionem omisisse putandus est. Hoc quidem exempla docent. Iam porro cum Antimachus Thebaïdem eis temporibus conceperit, quibus Euripidis Hippolyti et Sophoclis Phaedra agebantur, haud absonum mihi videtur his eum fabulis commotum suum Taraxippum ad similitudinem illius a Neptuno in Hippolyti perniciem non scilicet in certamine missi effecisse (Eur. Hippol. 1201—48. cfr. Sen. Phaedrae 1000—117). Quod si conceditur, ipsum Phoebum equorum turbatorem aut iam Antimachus e cyclica Thebaïde, quae quin ei nota fuerit, dubium non est, monstro addito recepit aut Statius Antimachi monstro de suo adiecit. Horum utrum verum sit, vix licet diiudicari. Mihi quidem illud veri videtur similius.

Noxia monstra Apollo iam in Arctini Iliupersi misit, ubi contra Laocoontem, sacerdotem ab eo alienatum, ambo serpentes e mari emergunt. Ceterum talia monstra non semper malum indicant et afferunt. In Apollonii Rhodii Argonauticis (IV 1364 sqq.) Neptunus Argonautis πελώριον ἵππον e profundo mittit, qui eis viam monstret.

Denique in Sophoclis Electra (vv. 698 sqq.) neque deos neque omnino numen ullum equos perterrefacere reperies: ex naturae consequentia omnes casus fiunt. Sincere paedagogus narrat (vv. 724 sqq.) Aenianis equos obstupefactos circumagi et cum Barcaei curru concurrere. Item Orestis tristis casus equorumque praeceps fuga eo probantur, quod metae in anfractu de improviso rotae modiolum impingit. Displicuit enim Sophocli deus ex machina. —

Primam Taraxippi mentionem reperio in Aristophanis Equitibus (v. 247), ubi similiter atque in Acharnensibus (v. 280 sqq.) choreutae inter se adhortantur, ut Paphlagonem verberibus male mulcent:

παῖε παῖε τὸν πανοῦργον καὶ ταραξιππόστρατον.

Non intellego, cur Kockius hoc vocabulo circensem Taraxippum significari neget.[1]) Immo potius una ex illis compositio-

1) Adnot. ad hunc versum: 'An den Poseidon ταράξιππος ist wohl schwerlich zu denken.'

nibus est, quarum Aristophanes callidissimus exstitit inventor et artifex, quaeque non ad unam, sed ad plures res simul solent spectare. Si circensis Taraxippus non significatur, non video, ecquod insit acumen: sin significatur, lepidissima comparatione mihi quidem videtur a comico dici Cleonem accusatione *λειποταξίου* equitum catervae terrorem incutere tamquam Taraxippum. Quae comparatio ex equestribus certaminibus adhibita eo melius quadrat, quod de equitibus sermo est. Accedit, quod illud compositum *ταραξιππόστρατος* ab Aristophane fingi non poterat, nisi Taraxippi nomen animo eius obversatum esset, propterea quod compositum *ἱππόστρατος* non exstabat: quare non *ταράσσειν* et *ἱππόστρατος* compositi sunt partes, verum *ταράξιππος* et *στράτος*. Quibus ex rebus licet concludi Peloponnesiaci belli aetate Taraxippi nomen iam in omnium ore fuisse.

Nec tamen prius iterum commemoratur quam ducentos fere post annos Alexandrinorum temporibus a Lycophrone in Alexandra (v. 43):

Κρόνου παρ᾽ αἰπὺν ὄχθον, ἔνθα γηγενοῦς
ἵππων ταρακτής ἐστιν Ἰσχένου τάφος.

Ex priore versu Olympiacum Taraxippum dictum esse elucet. Cave autem de loco Taraxippi ex his verbis aliquid certius elicere cupias. Nam *ἔνθα* ad solum *ὄχθον* referre vetamur expressis Pausaniae verbis, qui in aggere aram sepulcro similem positam fuisse testatur. Verba *Κρόνου παρ᾽ αἰπὺν ὄχθον* nihil aliud significant nisi omnino Olympiam.

Neque intererat Lycophronis certum Taraxippo locum assignare, sed, ut solet, ostentandi ac doctrinae causa remotissimam fabulam promere. Hoc est primum et unum a. Chr. n. testimonium nihil dubii relinquens, quo fabulam Taraxippi fuisse discimus. Proxima non ante reperiuntur quam Imperatorum Romanorum aetate ineunte altero p. Ch. n. saeculo apud Dionem Chrysostomum in oratione XXXII. (p. 691 R) et apud Pausaniam diversis locis, quos postmodo afferendi occasionem nanciscar. Singulares quaedam mentiones, imprimis

lexicographorum, posterioris etiam aetatis sunt nec novi quicquam prioribus addunt. —

Ut heroicorum temporum equestria certamina describentes epici poetae tristes casus ad divinum interventum referebant, sic postea in ipsis hippodromis homines prava superstitione deducti malevolos daemones discriminis auctores esse credebant. Multitudinem variarum fabularum Pausanias (in lib. VI. cap. XX. 16—19) diligenter integram, ut videtur, congessit. Longum est unam quamque earum separatim perscrutari. Id modo conabor, si veterrimas e copia secernere contingat. Quam quisquis percucurrerit, primo obtutu in tres partes secernet. Prima pars (§ 16. et 17) fabulas heroicas continet. Altera hominis Aegyptii narratione inclusa est (§ 18). His denique contraria est Taraxippum cognomen esse Neptuni Equestris (§ 18). Alteram, quippe quae ad magicam superstitionem redeat, prima recentiorem esse haud difficile est diiudicatu. Retinebantur enim ex illa prima heroum Pelopis et Oenomai nomina, quibus recens, ut ita dicam, vestimentum indutum est magica superstitione adhibita. Ars magica quamquam ab antiquissimis temporibus originem duxit, tamen nequaquam progrediente tempore magis magisque evanuit, immo etiam Imperatorum aetate in circis luxuriosissime florebat, cuius rei luculentissimum habes exemplum titulum Africum in Bull. de corr. hell. vol. XII. p. 294 exhibitum. Ceterum confer, quae Friedlaenderus in historia morum Romanorum vol. II. p. 309 de magica in circis Romanis vulgata disputavit. Ne hoc quidem casui tribuam, quod ab Aegyptio homine haec narrantur, utpote in cuius patria superstitio illa magna ex parte orta foveretur. Ac ne tertiae quidem sententiae, quam Pausanias praeter ceteras probat, maiorem quam primae vetustatem assignarim, quod Taraxippi cognomen Neptunum antiquitus habuisse ab omni veri similitudine abhorret. Quomodo enim haec inter se conveniunt Neptunum eius animalis, quod creavit creatumque in deliciis semper habebat, formidinem existere ac perniciem? Tam perversa opinio tum demum oriri et pervulgari potuit, cum vetusta illa de Neptuno equi creatore fabula oblivione obruta

erat. At Dio idem testatur l. l.: ἔστιν Ὀλυμπίασι κατὰ μέσον τὸν ἱππόδρομον Ταράξιππου Ποσειδῶνος βωμός, ἔνθα μάλιστα συνέβαινε τοὺς ἵππους πτοεῖσθαι καὶ πλεῖστα διαφθείρεσθαι τῶν ἁρμάτων. His verbis nihil aliud evincitur nisi Chrysostomum eodem errore ductum esse atque Pausaniam. Itaque nisi forte hunc illius auctoritatem secutum esse credimus, hoc certe credi potest, quoniam ambo aequales fere fuerunt, illorum aetate illam opinionem fuisse vulgatam. Quae vero sequuntur, eis verbis longe propius ad veritatem videtur accessisse: ἔδοξεν οὖν τοῖς Ἠλείοις ὡς δαιμονίου τινὸς ὄντος ἱδρύσασθαι βωμόν. Quod autem pergit: καὶ τὸ λοιπόν φασιν ἀπ᾽ ἐκείνου γεγονέναι τὸν τόπον ἀσφαλῆ, caute illud φασὶν adiecit, quod quam maxime urgendum est: id enim nutrices crediderint. Modo idcirco memoratu dignum est, quod a Periegetae sententia differt, quippe qui ipsam aram fuisse perturbationis causam credere videatur. Sed mittamus haec fabulosa et ad illa veriora redeamus. Illa verba quodammodo ab antecedentibus discrepant: nam cum ante Neptuno aram sacram fuisse pro certo dixerit, iam pergit ὡς δαιμονίου τινὸς ὄντος. Ita igitur rem ortam et progressam esse cogito: Elei cum eodem semper fere loco perturbationem fieri animadvertissent nec veram causam perspexissent, ut erant superstitiosi, novum quendam daemonem auctorem esse opinabantur, quem simpliciter de actione Taraxippum nominaverunt. Hunc ut sacrificando reconciliarent, rotundam ei aram extruxerunt (Paus. l. l.: καὶ τοῦδε ἡνίοχοι ἕνεκα θυσίας θύουσι, καὶ γενέσθαι σφίσιν ἵλεων εὔχονται τὸν Ταράξιππον). Cum vero ara in ipsa arena extructa certantes impedivisset, in aggere adversus metam eam accumulaverunt, ubi fortasse iam ante exitus patebat. Quare neque forte antiquitus ibi stabat neque unquam causa erat consternationis[1]): immo ad minuendam ac

1) Falso igitur Lehndorffius p. 35: 'Einige supponiren ihn', inquit, 'nach streng wörtlicher Uebersetzung des Pausanias auf der Aussenseite der Bahn, rechts nahe am Ausgang. Wäre dieses richtig, so müsste er schon vor Anlage des Hippodrom sich dort befunden haben, denn absichtlich wird man doch ein so viel Unheil stiftendes Object sich dort

tollendam perturbationem primo destinata erat. Postea autem, cum memoria huius rei iam abolevisset, causa esse calamitatum existimabatur. Sed quia simplicem cumulum tot casus efficere ne ipsi quidem sibi persuadere poterant, interiorem causam quaerentes ad invidiam cuiusdam herois referebant, pro cuius sepulcro vel cenotaphio aram terrenam putabant. Neque enim ille daemon, nomine Taraxippus, eis sufficiebat, quia non habebat, quod equos perterreret. Hunc igitur excipiebat *βάσκανος*, qui equos fascinaret.[1]) Quoniam certa memoria non tradebantur, factum est, ut sedula fabulositate alii alium fascinum constituerent. Pausanias quinque affert hoc vinculo inter se coniunctos, ut omnes ad Eleorum historiam pertineant. Praeter hoc quaenam ratio inter eos, qui priore loco nominati sunt, et hippodromum Olympiacum intercedat, iam non licet perspici. Nam de Olenio nihil comperimus nisi fuisse eum *ἀγαθὸν τὰ ἐς ἱππικήν*, quod qui causa esse potuerit, quod equos fascinaret, non intellegitur. Dameoni vero una cum equo suo a Cteato interfecto quaenam res erat cum hippodromo? Aliter res se habet de sequentibus: hi enim cum hippodromo quadam certe ratione cohaerebant et quomodo *βάσκανοι* fieri potuerint, facile perspicitur. De Myrtilo cfr. Phot. bibl. 190 (p. 150, 4), de Alcathoo, secundo Hippodamiae proco (Paus. VI. c. XXI 10) cum Pelope confuso O. Crusium in Musei Rhenani vol. XLIII. p. 628. Hesychius s. v. *Ταράξιππος* Pelopem ipsum quoque pro Taraxippo habitum esse tradit. Mihi quidem Oenomaum fascinatorium fuisse optime placeret, qui ipse in certamine devictus et mortuus summo iure aliis cum laetitia ac felicitate eodem loco decurrentibus invideret, nisi eius sepulcrum alibi fuisse Pausanias in cap. XXI. § 3 narraret: *Διαβάντων δὲ τὸν Κλάδεον τάφος τε Οἰνομάου γῆς χῶμα περιῳκοδομημένον λίθοις ἐστί, καὶ ὑπὲρ τοῦ μνήματος ἐρείπια οἰκοδομημάτων ἔνθα τῷ Οἰνομάῳ τὰς ἵππους*

nicht hinbauen. Im Gegentheil wäre eher anzunehmen, dass man es, wenn früher vorhanden, bei Anlegung der Bahn von dort entfernt hätte.'

1) De fascinatione cfr. O. Iahnium in Rell. Sax. liter. societ. vol. VII. 1855. p. 28—110.

αὐλίζεσθαι λέγουσιν. Huic Taraxipporum speciei etiam Ischenos, gigas ille Olympiae sepultus, adnumerandus est: quod Lycophron eum commemorat, inde iam ante Alexandrinorum tempora hanc speciem ortam esse manifestum est. Sed ne hic quidem qua de causa Taraxippus factus sit, e Tzetzae scholio ad Alexandrae v. 42 adscripto satis discimus (p. 100[2]).

Tali fascini opinione iam via, ut ita dicam, patebat ad magicam Amphionis. Hic, quod sciam, hoc solo loco *δεινὸς μαγεῦσαι* dicitur: Orpheum omnis magiae Graecae antiquissimum fontem et originem habitum esse inter omnes constat[1]) (cfr. exempli gratia Paus. II 30, 2: *Θεῶν δὲ Αἰγινῆται τιμῶσιν Ἑκάτην μάλιστα, καὶ τελετὴν ἄγουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος Ἑκάτης, Ὀρφέα σφίσι τὸν Θρᾷκα καταστήσασθαι τὴν τελετὴν λέγοντες*). Putabatur igitur daemonis notione plane remota iam non heros invidiosus equos pavore implere, verum res quaedam in terram infossa.[2]) Quo factum est, ut etiam rebus Taraxippi nomen inderetur, velut pharmaco cuidam ab Iulio Africano descripto, cuius odor equos furore implet (Veteres mathematici, Parisiis M.DCXCIII. p. 293). Eiusdem verbis: „*Εὔχονται δὲ καὶ ἄλλοι μάχεσθαι μέλλοντες· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ θύουσι ἐν ἀγῶνι καθεστηκότες Ταραξίππῳ Ποσειδῶνι*“ ad pravam illam de Taraxippo Neptuni cognomine sententiam revocamur, quam novissimam puto exstitisse. Nam si quibus multitudo illorum heroum pro fascinis habitorum et magica quoque opinio displicebat, ad deum refugerunt et ad quemnam deum nisi ad equorum equestriumque hominum Neptunum? Huic enim pro rerum equestrium prosperitate in aris sacrificare soliti in hac quoque ara deinde sacrificia faciebant, ut eum mitigarent et adiutorem sibi reconciliarent. Taraxippi autem nomen per saecula servatum non reiecerunt, sed cognominis loco Neptuno perperam addiderunt. Lehndorffius cum aliis Pausaniae sententiam probans (adn. 30): ‘Pausanias gelangt’, ait, ‘zu der

---

1) Cfr. Ennemoseri Historiam magiae Lips. 1844. § 231.

2) Cfr. Dio Chrys. or. XXXII. p. 414 v. 15 Dind.: „*ὅταν δὲ εἰς τὸ θέατρον εἰσέλθωσιν ἢ τὸ στάδιον, ὥσπερ φαρμάκων αὐτοῖς ἐκεῖ κατορωρυγμένων, οὐδὲν οἴδασι τῶν προτέρων.*“

Ansicht, dass Taraxippos als Beiname des Poseidon Hippios zu betrachten sei, was um so grössere Wahrscheinlichkeit erhält, wenn man erwägt, dass bei den Griechen und Römern Poseidon überhaupt eine wichtige Rolle auf der Rennbahn spielte und dass auch im römischen Circus die Zielsäule dem Neptunus equester gewidmet war'.[1]) Neutra causa quicquam valet: nec prior, quia Neptunus in circis non ideo colebatur, quod equos terreret, sed quod equos eorumque fautores tuebatur; nec altera, quia Olympiacum Taraxippum non in meta positum fuisse satis mihi videor demonstrasse. Ut Graeci alteram metarum Hippodamiae, circensi heroidi, Pausania teste sacraverant, ita Romani suo circensi numini sacram alteram esse volebant, Neptuno, fortasse eo consilio, ut periculum metam ambeuntibus minueret. Quare nihil aliud illa comparatione evinci mihi videtur nisi Pausaniam quoque ea ad falsam suam sententiam a veritate deduci potuisse.

Proinde videmus Pausaniam forte fortuna Taraxippi fabulas eodem ordine reddidisse, quo tempore progrediente pedetemptim ortas eas esse simillimum est veri. Forte fortuna dico: nam si eas hac ratione enumerare voluisset, non eam, quam antiquissimam ac principalem ducebat, novissime posuisset (§ 18 exeunte: *ὁ δὲ πιθανώτατος, ἐμοὶ δοκεῖν, τῶν λόγων Ποσειδῶνος ἐπίκλησιν εἶναι τοῦ Ἱππίου φησίν*).

Atque ut lepidum nostrae de Olympiaco Taraxippo explicationi finem imponamus, unam denique eius mentionem lubet adicere mathematico problemate inclusam. (Anthol. Pal. XIV 4), quod cui tempori tribuendum sit, vix possit certo enucleari:

Αὐγείην ἐρέεινε μέγα σθένος Ἀλκείδαο,
πληθὺν βουκολίων διζήμενος· ὃς δ' ἀπάμειπτο·
„Ἀμφὶ μὲν Ἀλφειοῖο ῥοάς, φίλος, ἥμισυ τῶνδε·
μοίρῃ δ' ὀγδοάτῃ ὄχθον Κρόνου ἀμφινέμονται·
δωδεκάτῃ δ' ἀπάνευθε Ταραξίπποιο παρ' ἱρόν·
ἀμφὶ δ' ἄρ' Ἦλιδα δῖαν ἐεικοστῇ νεμέθονται·

1) Haec ad verbum ex Pauly encyclopaedia antiquit. s. v. Hippodromus prompsit auctore non nominato.

αὐτὰρ ἐν Ἀρκαδίῃ [γε] τριηκοστὴν προλέλοιπα·
λοιπὰς δ' αὖ λεύσσεις ἀγέλας τόδε πεντήκοντα".

In v. 5 Ταραξίπποιο ἱρὸν nihil aliud est nisi Taraxippi illa ara: quae dicitur procul abesse. Cum ubi ipse Augias hos versus dicens fuerit, nesciamus, non multum ex hac significatione lucramur. Hoc tamen sequi videtur Taraxippum non prope Saturni collem (v. 4) situm fuisse, quod vix in eiusmodi carmine urgere velim, aliquo tamen modo firmat me dubitantem, num omnino Saturni collis sinistrum hippodromi marginem attigerit (p. 55). Concupiscenti denique scire, a quotnam boum stercore Augiae stabulum Herculi purgandum fuerit, ut hoc in transcursu perstringam, aequationem arithmeticam solvam:

$$x - \frac{x}{2} - \frac{x}{8} - \frac{x}{12} - \frac{x}{20} - \frac{x}{30} = 50$$

$$x = 240.$$

Restat, ut quaeramus, ubinam locorum Taraxippi fuerint. Certe non in omnibus hippodromis. Si enim fuissent, qua de causa Dio Chrysostomus in oratione sua ad Alexandrinos habita auditores non ad Alexandrinum, verum ad Olympicum Taraxippum vocavit? Si ea quam supra de Taraxippi causa proposuimus sententia vera est, in eis tantum fuit hippodromis, qui aut ad orientem aut ad occidentem vergebant, ubi oriente sole certabatur. Solebant veteres, quod eius fieri poterat, circos ad orientem derigere. Qui ad occidentem spectabant, in eis non exterior, sed interior meta illius periculi plena erat. Ubi autem, ut in Romanis et posteriore aetate etiam in ceteris, non mane solum, sed per totum diem certabatur, ibi nihil erat causae, quod Taraxippus constitueretur. De aliis nihil memoriae proditum est nisi de quattuor celeberrimorum per totam Graeciam hippodromorum, Olympiaco, Isthmiaco, Nemeaeo, Pythico.[1]) Olympiae, ubi plurimi in arenam descendisse putandi sunt, famosissimus erat (§ 19: ἀλλὰ

1) Ervini Rohdii Psyche I. p. 162 adn. 1: 'Uebrigens schien ein ταράξιππος fast nothwendig zu den Hippodromen der grossen Wettkampfstätten zu gehören.'

γὰρ ὁ ἐν Ὀλυμπίᾳ Ταράξιππος πολὺ δή τι ὑπερηρκώς ἐστιν ἐς ἵππων φόβον). In Isthmiaco Glaucum, Sisyphi filium, Taraxippum fuisse Pausanias eodem loco narrat (Ἔστι δὲ καὶ ἐν Ἰσθμῷ Ταράξιππος Γλαῦκος ὁ Σισύφου· γενέσθαι δὲ αὐτῷ τὴν τελευτὴν λέγουσιν ὑπὸ τῶν ἵππων, ὅτε Ἄκαστος τὰ ἆθλα ἔθηκεν ἐπὶ τῷ πατρί). Hic igitur eis adnumerandus est, quos ille de Olympico Taraxippo verba faciens primo loco enumerat. Ibi cum qua de causa Olenius et Dameon equorum terroris partes susceperint, non perspici potuerit, nisi quod cum Eliaca historia fabulari quodammodo cohaerebant, de Glauco id eo magis mirandum est, quod quaenam res ei cum Isthmiacis fuerit, nullibi traditum est. Nam Peliae ludos funebres Iolci, in oppido Magnesiae, celebratos esse Apollodorus (I 9, 27) testatur. Suspicor igitur fabulam quandam huc spectantem perisse uno relicto vestigio. Pater enim eius, Sisyphus, Isthmiaca instituisse narratur (Paus. II 1, 3). Id vero notatu dignum videtur etiam in Isthmo heroem pro daemone equos perterrenti habitum esse, id quod novum argumentum sententiae meae de antiquitate eius generis Taraxipporum prolatae accedit. Quid igitur? Si Olympiae Neptunus Equester Taraxippus fuisset, nonne multo magis in Isthmo, ubi praeter ceteros deos in honore erat, in illo quoque discriminis loco eum coli consentaneum erat? Nec fortuito factum reor in Olympiaco potissimum et in Isthmiaco hippodromis eiusmodi Taraxippos fuisse: hi enim antiquissimi fabulositati maxime erant obnoxii. Namque in reliquis duobus equorum consternatio ad causas referebatur naturales: ubi cultus quoque religiosus eis defuisse coniciendus est. Ac de Nemeaeo quidem haec dicit auctor noster: „Ἐν Νεμέᾳ δὲ τῇ Ἀργείων ἥρως μὲν ἦν οὐδεὶς ὅστις ἔβλαπτε τοὺς ἵππους, πέτρας δὲ ὑπὲρ τῶν ἵππων τὴν καμπὴν ἀνεστηκυίας χρόαν πυρρᾶς, ἡ ἀπ᾽ αὐτῆς αὐγή, κατὰ ταὐτὰ καὶ εἰ πῦρ, ἐνεποίει φόβον τοῖς ἵπποις“. Unde concludere licet hunc hippodromum in vallem collibus ex tribus partibus circumclusam se insinuavisse.[1]) Talia enim

1) Cfr. Pind. Nem. III 18: ἐν βαθυπέδῳ Νεμέᾳ. VI 44: δασκίοις Φλιοῦντος ὑπ᾽ ὠγυγίου ὄρεσιν. Ol. IX 87: Νεμέας κατὰ κόλπον.

loca, quoad eius fieri poterat, a naturae se applicantibus Graecis et hippodromis et stadiis construendis aliis anteposita esse res est notissima. Curvaturae igitur hippodromi rutila rupes e collibus procurrens imminebat. Quoniam, in quanam curvaturae parte situs fuerit, non accurate dictum est, in sinistra eius parte locum eum habuisse licet sumere. Deinde re vera equos eiusmodi re naturali, qualem in montuosa Graecia cotidie fere spectare poterant, non magis quam simplici ara perterritos esse cuilibet talium rerum perito persuasum est: hae nugae sunt. Immo alia causa perturbationis deficiente homines superstitiosi ad illam rupem, quippe quae maxime in conspectu esset, confugerunt. Olympiae quoque similem causam naturalem quaerentes lauri foliis vento agitatis equos perterreri quidam opinabantur. Hoc docet scholium vetus ad Lycophronis Alex. v. 42 (ed. Kinkel p. 68): „*ἔνθα γηγενοῦς Ἰσχένου*[1])] *Γίγας ἐγένετο Ἑρμοῦ καὶ Ἱερείας· τούτου δὲ υἱὸς Ἴσχενος, οὗ μνῆμα δείκνυται παρὰ τὸν καλούμενον Κρόνιον λόφον* [hoc ex ipsius poetae verbis scholiasta perperam hausit]· *καλοῦσι δὲ αὐτὸν Ταράξιππον, ἐπειδὴ οἱ ἀγωνιζόμενοι ἵπποι, ὅταν γένωνται ἐκεῖσε κατὰ τὸ μνῆμα, ταράσσονται. ἄλλοι δέ φασι δάφνην εἶναι καὶ σειομένης αὐτῆς τῇ σκιᾷ τῶν φύλλων ταράσσεσθαι τοὺς ἵππους*".[2]) Quamquam ad frondis, praesertim

---

Le Bas Voyage archéol. en Grèce et As. min. itin. tab. 33 et p. 33. Stat. Theb. VI 255—60.

1) Sic enim legendum censeo et a Tzetze lectum esse. Codices habent lemma *ἔνθα γηγενοῦς*], deinde *Ἴσχενος γίγας ἐγένετο κτλ.*, quasi et patri et filio idem fuisset nomen. Sed hoc credo scholiastam aliquo certe modo adnotaturum fuisse, velut *τοὔνομα καὶ οὗτος Ἴσχενος*, nec intellego, cur Tzetzes, qui traditos commentarios ampliarit, patris idem nomen omiserit. Etiam paraphrasis antiquior patris nomen tacet; „*Ἴσχενος δέ ἐστι Γίγαντος υἱὸς ἀπὸ τοῦ Ἑρμοῦ καὶ τῆς Ἱερείας.*"

2) Huic Tzetzae scholium, quod me allaturum supra promisi, comparandi causa apponam, quia quomodo is veteribus scholiis usus sit, hoc exemplo optime puto demonstrari: *Γηγενοῦς*] *τοῦ Γίγαντος. Ἑρμοῦ καὶ Ἱερείας υἱὸς Γίγας. Γίγαντος δὲ υἱὸς Ἴσχενος. Λιμοῦ δὲ γεγονότος ἐδόθη χρησμός, μὴ ἂν ἄλλως λυθῆναι τὸν λιμόν, εἰ μὴ τῶν εὐγενῶν τυθῇ τις. Πάντων τοίνυν ἀπορουμένων ἐθέλησεν ὁ Ἴσχενος τυ-*

aridae, subitum crepitum equos expavescere posse nequit negari, tamen solo umbrae foliorum aspectu equos victoriam praecipiti cursu expetentes id pati posse minime verisimile est: praeterea tali aspectu ante assuescere poterant, et mirum erat, nisi tam funesta arbor succisa vel, si hoc religio vetabat, aliquo modo ab equorum conspectu tecta esset.

Ceterum, ne hoc notare praetermittam, quod Pausanias illo loco imperfectis ἦν et ἐνεποίει usus est, cum ceteroquin praesens usurpaverit (§ 15: *Ἔστιν ἐπὶ τῆς μείζονος πλευρᾶς ὁ Ταράξιππος*. § 19: *Ἔστι δὲ καὶ ἐν Ἰσθμῷ Ταράξιππος*), inde effici arbitror illius aetate non illum hippodromum et rupem iam non nota, at certe Nemea iam non ibi celebrata fuisse.[1])

Pythia vero usque ad sua tempora in usu fuisse ipse diserto testimonio firmat (X 37, 4): „*Ἐς δὲ Κίρραν τὸ ἐπίνειον Δελφῶν ὁδὸς μὲν σταδίων ἑξήκοντά ἐστιν ἐκ Δελφῶν· καταβάντι δὲ ἐς τὸ πεδίον ἱππόδρομός τέ ἐστι καὶ ἀγῶνα Πύθια ἄγουσιν ἐνταῦθα τὸν ἱππικόν*". Plus etiam nostra interest, quae de Taraxippo Delphico dicat, comperire: „*Ὁ δὲ ἱππόδρομος ἔοικε τοῦ Ἀπόλλωνος τάχα μέν που καὶ αὐτὸς τῶν ἱππευόντων τινὰ ἀνιᾶσαι, ἅτε ἀνθρώποις τοῦ δαίμονος ὁμοίως ἐπὶ ἔργῳ παντὶ καὶ ἀμείνω καὶ τὰ χείρω νέμοντος· οὐ μέντοι καὶ αὐτὸς ταραχὴν τοῖς ἵπποις ὁ ἱππόδρομος οὔτε κατὰ αἰτίαν ἥρωος οὔτε ἐπ' ἄλλῃ πέφυκεν ἐργάζεσθαι προφάσει*". En habes luculentissimum ipsius veteris scriptoris

θῆναι, οὗ καὶ τυθέντος ὁ τάφος δείκνυται περὶ τὸν καλούμενον Κρόνου λόφον πλησίον τοῦ καμπτῆρος τῆς Ὀλυμπίας, καὶ τιμαῖς πλείσταις αὐτὸν ἐτίμων, καθ' ἣν ἡμέραν ἐτύθη, καὶ ἀγῶνα συνίστων.

= { *λέγουσι δὲ αὐτὸν Ταράξιππον, ἐπειδή ἐστι ταράσσων καὶ θορυβῶν τοὺς ἵππους ἀγωνιζομένους,*

ἢ ἀρρήτῳ τινὶ καὶ ἀλόγῳ δυνάμει ἢ δάφνης ἑστώσης περὶ τὸν τάφον καὶ σειομένης αὐτῆς ταράσσεσθαι τοὺς ἵππους τῇ σκιᾷ τῶν φύλλων.

= { *Καλοῦσι δὲ αὐτὸν Ταράξιππον, ἐπειδὴ οἱ ἀγωνιζόμενοι ἵπποι, ὅταν γένωνται ἐκεῖσε, ταράσσονται.*

1) Romanorum imperio Nemea ad Argos translata sunt. Polyb. V 101, 5. Diod. XIX 64.

testimonium non externa causa, verum ipsius hippodromi constructione perturbationem factam esse. Hic enim omnis ansa ad Taraxippum constituendum derat. Sed cum ille veram scilicet Taraxippi rationem non perspexisset, ad deos immortales confugit, qui pro summa in omnibus rebus aequitate, quoniam Olympiacum, Isthmiacum, Nemeaeum hippodromos Taraxippo instruxissent, ne Pythicum quidem eo vacare voluerint.

C.

DE MENSURIS QUIBUSDAM.

Nolo hoc capitulo difficilem de mensuris hippodromi quaestionem funditus retractare, sed quoniam Olympiacum hippodromum, qualem animo mihi fingo, in tabula delineare conatus sum, de mensuris, quibus in hac specie usus sum, pauca dicenda arbitror.

Ac longitudinem quidem spinae duorum stadiorum feci (= 370 m). Pedestrium enim cursorum *ὁ ἵππιος δρόμος* sive *τὸ ἱππικὸν* duo erant diauli vel quattuor stadia teste Pausania (VI 16, 4): „*δρόμου δέ εἰσι τοῦ ἱππίου μῆκος μὲν δίαυλοι δύο*“. *Ἱππικὸν* autem ideo nominatum est, quia par erat uni equorum curriculo, quod ab interiore meta circum exteriorem ad illam retro percurrebant (cfr. Krause Gymn. et Agon. p. 161 sqq.). Si unius tantum stadii spina fuisset, quod quidam ponunt, non intellegitur, qui quattuor stadiorum spatium *ἱππικὸν* appellatum sit, cum duorum potius stadiorum exspectes: hoc autem *δίαυλον* vocabant. Praeterea verendum erat, ne per tantulum spatium currentium si quis a ceteris longius relictus esset, a tergo celerrimi eum nanciscerentur et denuo superarent, id quod in tanta certantium multitudine perturbationem auxisset. Hadrianus cum circum duorum stadiorum exstruxit, fortasse Graecorum hippodromorum longitudinem imitatus est (Paus. V 12, 6: *καὶ οἰκοδόμημα ἐς ἵππων δρόμους προῆκον καὶ ἐς δύο σταδίων μῆκος*). Duodecies totum curriculum ab adultis equis conficiebatur. Quod spatium 8880 m quamquam Lehndorffio collatis eis, quae in nostris hippodromis

et in Circo Maximo[1]) percurruntur, spatiis (4000—5000 m) nimium videtur esse (adn. 42), tamen uno certe Pindari testimonio constat, Ol. III 33:

τόθι δένδρεα θάμβαινε σταθείς·
τῶν νιν γλυκὺς ἵμερος ἔσχεν δυωδεκάγναμπτον
περὶ τέρμα δρόμου
ἵππων φυτεῦσαι.

Etenim si quis contendat singularis *τέρμα* hic pro plurali vel duali poetice dictum esse, is calculi errore ducitur, quia ambae metae, si sexies circumcurritur, non duodecies, verum undecies circumflectuntur, exterior sexies, interior quinquies tantum, quia haec in extremo cursu non circumcurritur, sed praetercurritur. Ergo *δυωδεκάγναμπτον τέρμα* nihil aliud potest esse quam exterior meta duodecies circumflexa, quam Hercules arboribus circumdare desiderat, unde efficitur curriculum quoque totum duodecies confectum esse. Concedo permagnum spatium esse: noli vero oblivisci equos tantum praestitisse Olympiae! Idem testantur alii Pindari loci, quamvis minus luculenter, quia vocem *δρόμος* non de integro circuitu, sed de spatio ab una ad alteram metam confecto, id est de dimidio circuitu, intellexerit quispiam [2]):

---

1) Quae Dionysius in Antiqu. Rom. l. III. c. 68 de Circo Maximo memorat: „*Μῆκος μὲν γὰρ τοῦ ἱπποδρόμου τριῶν καὶ ἡμίσους ἐστὶ σταδίων, εὖρος δὲ τεττάρων πλέθρων*“, non de spinae, sed de totius circi longitudine intellegenda sunt. Ab hoc discrepat Plinius in Nat. hist. l. XXXVI. c. 24: 'ut circum maxumum a Caesare dictatore exstructum longitudine stadiorum trium, latitudine unius, sed cum aedificiis iugerum quaternum, sed sedum CCL inter magna opera dicamus'.

2) Cfr. Delaborde Pavimento p. 68 sq.: 'Después de habér pasado la meta estaban obligados à recorrér el mismo espacio seis vèces, y la palma la ganaban al fin de la sexta vuelta. Pindaro parece que quiere dar à entendér que daban doce vueltas; lo qual no es verosimil, porque en el Circo donde la carrera no era mas que de siete vueltas, llegaban à veces tan fatigados que el corredor vencedor se paraba cerca de la linea, porque no podia ir mas adelante, à lo qual llamaban 'hieran facere'. Lo mas probable es que hubiese dos metas como en el Circo, y que por las doce vueltas, *δοδεκαγναμπτον* [sic], Pindaro ha querido signi-

Ol. II 50: *τέθριππα δυωδεκάδρομα.*

VI 75:

μῶμος ἐξ ἄλλων κρέμαται φθονεόντων
τοῖς, οἷς ποτε πρώτοις περὶ δωδέκατον δρόμον
ἐλαυνόντεσσιν αἰδοία ποτιστάξῃ Χάρις εὐκλέα μορφάν.

Pyth. V 30:

ἀκηράτοις ἀνίαις
ποδαρκέων δυωδεκάδρομον τέμενος.[1])

Scholiis vero ad illos Pindari locos adscriptis non modo non refutatur mea sententia, sed etiam firmatur:

ad Ol. II 50: *δυωδεκαδρόμων] ὅτι δώδεκα δρόμους ἔτρεχον τὰ τέλεια ἅρματα, τουτέστι ι' καὶ β' καμπτῆρας* (h. e. circum exteriorem metam).

ad III 33: *δωδεκάγναμπτον] δώδεκα γὰρ* [*δρόμους* suppleo] *ἐν Ὀλυμπίᾳ τρέχει τὸ τέλειον ἅρμα, τὸ δὲ πωλικὸν ὀκτώ.*

ad VI 75: *φθόνος ἐπικρέμαται τούτοις, οἷς ἂν ποτε κατὰ τὴν Ὀλυμπίαν περὶ τὸν δωδεκάκυκλον δρόμον ἀγωνισαμένοις καὶ νικήσασιν ἡ ἐκ τῆς νίκης χάρις ἔνδοξον τὴν ὄψιν παράσχῃ.*

ad Pyth. V 32: *περιέβαλεν ὁ Κάῤῥωτος ταῖς σαῖς κόμαις, ἀφθάρτοις ἡνίαις κατὰ τὸ τέμενος τῶν δυωδεκαδρόμων ἁρμάτων ἐπαρκῶν, τουτέστι τὸ σταδίον τοῖς ποσὶν ἐπαρκέσας καὶ τὴν νίκην ἀπενεγκάμενος. φασὶ δέ τινες, ὅτι δώδεκα δρόμους ἀνύει τὸ τέλειον ἅρμα, τὸ δὲ πωλικὸν ὀκτώ· τοῦτο δὲ μαρτυρήσει καὶ ὁ Καλλίμαχος λέγων*

δωδεκάκις περὶ δίφρον ἐπήγαγεν ἴθματα δίφρου.

Ex hoc Callimachi versu, qui vitio laborat, nihil certi concludendum est. Sed siquidem *δίφρον* corruptum videtur, duo-

---

ficar solamente el espacio de una meta à otra; lo qual me parece mas racional, ademas de que lo confirma un lugar de Pausanias que distingue las dos metas [VI 20]'.

1) Totidem igitur, quot in Olympiaco, in Delphico conficiebantur circuitus, unde concludi licet etiam in ceteris Graecorum hippodromis, in maioribus certe, ita rem se habuisse.

decies circum metam (*τύμβον* O. Schneiderus, *φίτρον* Heckerus) quendam flexisse versus est sententia. Haec de longitudine spinae.

Venio ad latitudinem, de qua ne unum quidem disertum testimonium exstat. Confugio igitur ad rationem et cogitationem profectus ab illo Pindarico loco (Pyth. V 50 Bergk):

> *ἐν τεσσαράκοντα γὰρ πετόντεσσιν ἀνιόχοις ὅλον*
> *δίφρον κομίξαις ἀταρβεῖ φρενί*
> *ἦλθες ἤδη Λιβύας πεδίον ἐξ ἀγλαῶν*
> *ἀεθλῶν καὶ πατρωΐαν πόλιν.*

Ex hoc loco apertum est quadraginta quadrigas uno eodemque missu in Pythico hoc certamine certasse, nec intellego, quare quidam nimium esse hunc numerum rati aliam sententiam — quaenam, non dicunt — verbis subesse arbitrentur. Numerus *τεσσαράκοντα* non potest corruptus esse, quia minorem metro aptum vix reperies. Simul videmus, quam casibus obnoxia illa certamina fuerint, siquidem Carrhoti, qui salvus ad calcem pervenit (*ἀταρβεῖ φρενί* = *ἀκηράτοις ἀνίαις* v. 33), aemuli quadraginta (an undequadraginta?) detrimentum fecerunt. Hoc autem concedo quadraginta quadrigarum numerum pro usu magnum, fortasse maximum esse, qui decurrere potuerit, quia poeta, ut Carrhotum maiore laude extollat, eum omnino affert.

Totidem vero ad minimum, quot Delphicus, Olympiacus hippodromus spatium praebuisse putandus est. Si igitur ad singulas quadrigas recipiendas stationes 3 m latitudine suffecisse sumimus, basis prorae SD ad minimum 120 m lata erat (vide G. Hermanni explicationem. Hipp. Olymp. p. 10), cui spatio rostri latitudo inexplorata addenda est. Porro cum utrumque prorae latus plus quadringentos pedes (= 120 m) latum fuisse Pausanias ipse testetur (VI 20, 11), omnia tria prorae latera paria inter se fuisse efficitur. Quod optime convenire nemo infitiabitur.

Hoc baseos spatium si duplicamus, ad totius arenae latitudinem pervenimus, quae est 240 m.

Arcum hippodromi C radio M_2V circum M_2 descripsi, ut praeter metam elatis satis spatii esset ad reflectendos equos, quamquam magis eum ad metam accedere potuisse, ut in nonnullis Romanis circis, non nego.

Denique rostrum oppidi R quantum ab interiore meta distare arbitrer, si quaeris, tantum suffecisse credo, ut arcus KL apud M_1 in breviorem arcum M_1N contraheretur.

I.

INDEX

RERUM ET NOMINUM.

1) = hippodromi.

II.

INDEX

LOCORUM VEL EMENDATORUM VEL EXPLICATORUM.

VITA.


Geising, oppidulum in stanniferis Saxoniae montibus reconditum, me Heinonem Ricardum Ervinum Pollack tulit a. d. V. Id. Nov. anni h. s. LXIII. patre natum Ernesto, matre Aemilia de gente Muellerorum. Inde ubi fidei addictus sum Lutheri, cum nondum V. annum agerem, pater familias domicilium Dippoldiswaldam transtulit, ubi nunc quoque medicinam exercet. In huius novae patriae ludo literis elementariis et calculo usque ad XI. annum imbutus Dresdae matris parentium tutelae traditus sum Gelineckii, praeceptoris privati, scholam per II annos, deinde per annum Gymnasium Regium rectore Ilbergo quartanus frequentaturus. Post tot ambages tanquam in portum veni, cum anno h. s. LXXVIII. in illustre apud Grimam Moldanum reciperer, cuius per VI annos, ut solent, rectore praestantissimo Aemilio Muellero fui alumnus. Semper tibi, Alma Mater, piam gratamque servabo animam! Maturitatis testimonium praeside Ottone Ribbeckio adeptus Lipsiam me contuli. Hic postquam unius anni stipendia merui superiore ordine dignatus, totum me philologiae dedi. Scholas adii virorum illustrissimorum de Bahderi, Curtii, Drobischii, Frickii, Gardthauseni, Heinzii, Lipsius, Ribbeckii, Richteri, Rohdii, Schreiberi, Voigtii, Wachsmuthii, Windischii, Wundtii, F. Zarnckii.

Proseminarii per tria semestria exstiti sodalis moderantibus Crusio, Wachsmuthio, Rohdio, Lipsius, Haussenio, cui senioris, ut aiunt, munere functus sum, Seminarii Regii per totidem semestria Lipsius, Ribbeckio, Wachsmuthio alternis praesidibus.


Exercitationibus philologis ut interessem, benigne concesserunt Lipsius, Wachsmuthius, Ribbeckius, quem per biennium audivi senior. Denique paedagogicum Richteri seminarium duos annos frequentitavi, Ratzelii geographicum et Zarnckii germanisticum singula semestria.

His omnibus viris quantum debeam nunquam ero immemor, imprimis Ribbeckio, cui artiore vinculo coniunctus fui, Lipsius et Wachsmuthio, qui studia mea foverunt ac iuverunt. Huic, cuius mihi hanc dissertationem scribenti consilium numquam defuerit, et Schreibero, qui archaeologica opera liberaliter mihi mutuatus sit, ne hoc quidem loco quin gratias agam maximas, possum praetermittere.

Etiam in Academica Societate Philologa, quantum fructum ex amicorum coniunctis studiis ceperim, lubens memini.


100


3 2044 014 727 564


WIDENER
WIDENER
FEB 1 0 1997
BOOK DUE

